CL. GALENI
PERGAMENI

DE SANIT. TUEN.

12179
122
8160
7252/A
7253/
2539(2)/
GALEN
89 816

7253

CL. GALENI PERGAMENI DE RATIONE CVRANDI AD GLAVCONEM LIBRI II.

MARTINO ACAKIA Catalaunenſi Doct. medico interprete.

COMMENTARII EIVSDEM *in eoſdem libros.*

IN VIRTVTE ET FORTVNA.

LVGDVNI,
Apud Gulielmum Rouillium, ſub ſcuto Veneto.
1551.

MARTINVS ACAKIA LECTORI.

*

MEDICINA *ſcientiarum omnium nobiliſſima, antiquiſſimáque, magna caligine ſepulta, ac obruta, iã ſtudioſorum quorundam diligentia, & induſtria eniteſcit. Numeroſiſſima enim ſtudentiũ pars, hanc artem ad quæſtum trahere volens, temporis compẽdia ſequi maluit, quàm lõgiori tempore artis pulchritudinẽ quærere. Itaq; à primis diſciplinis, malè etiam intellectis, protinus, non ad artis medicæ principia, ſed ad finem trãſit. Artem enim prius exercere, quàm intelligere voluit alieno periculo. Auicennam igitur medice artis principem fecit, primáſq; illi tribuit: Hippocratem verò ac Galenum, duo medicinæ lumina, magno artis diſpẽdio, è medicorũ theatro exploſit, Illum, quòd cõtracte, preſſéq;, proindéq; obſcure: hũc verò, quòd late, ſed confuſe rem medicam tractaſſe diceretur: Auicennam verò, quòd artem, vt autumat, & breuiter, & lucu-*

lente

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

lente tradidiſſet,ſequi maluit: quem tamen conſtat chaos quoddam, ac indigeſtam molem potius quàm ordinatam doctrinam condidiſſe. Omnia enim cum omnibus,ſine ordine,ſine via ac ratione miſcuit: vaſtumq; opus effecit, infinitis propemodum erroribus refertum, humano generi pernicioſiſsimis. Quot enim hominum milia vna Auicennæ,aliorúmque Arabum de ſanguinis miſsione ex oppoſito latere in pleuritide,aliísque internis corporis inflammationibus opinio iugulauit? hoc tamen Auicennæ ſectatores intelligere nõ poſſunt, adeo huic opinioni inueterata. Arabis autoritas ceruicoſos iſtos ac marmoreos addixit. Exprimi enim non poteſt,quàm cæcæ confidentiæ,quàm perditæ audaciæ eiuſmodi homines hãc artem fœdent, literarũ omnium prorſus expertes. Nullos enim non ſuſcipiunt curandos, inani pollicitatione miſerè vulgo imponentes: omnéſque tam qui curari poſſunt morboſos,quàm qui curationem nõ admittũt, ex æquo (niſi quos fata ſeruant) enecant. Quiſquis igitur ad hanc diſciplinam ſtudium ſuum collocaturus eſt, educatum ac verſatum in liberalibus ac bonis diſciplinis eſſe oportet. Deinde optimos præceptores vel audiat ſi fieri omnino poteſt: vel certe legat. Itaque Galenum,medicorum ſolum huius artis præcepta facilè, luculentè, ac abſolutè docentem,imitandum eſſe ſuadeo, non autem Arabum doctrinam obſcuram,mutilã ac man-

cam, erroribúſque ſcatentem. Longè enim plus commodi vel ex hac Galeni ad Glauconem curandi ratione, quàm ex vniuerſa Arabum doctrina te aſſecuturum, ſi quidem diligenter hăc euolueris, ac intellexeris, confidenter adfirmo. Quam nos è Græco in Latinū vertimus ac enarrauimus, quàm potuimus diligentiſsimè: ſed quàm feliciter id aſſecuti ſimus, tuum eſto iudicium. Quod ſi tibi boni conſultum eſſe intellexero, quas meditor lucubrationes reliquas, in vſum tuum edam. Vale.

CL. GALENI PERGAMENI DE RATIONE CVRANDI AD GLAVCONEM LIBRI II.

MARTINO ACAKIA INTERPRETE ET COMMENTATORE.

QVOD non communem ſolùm omnium hominũ naturam, ô Glauco, ſed & cuiuſque propriã, noſſe medicus debeat, & ab Hippocrate olim rectè traditum eſt, & à nobis in ipſis artis operibus, vt noſti ſtudioſè obſeruatum. Fieri tamen non poteſt, vt propria cuiuſque, perinde atque communis, ſcribatur: ſed oppoſito ſe habent ordine ſcripta & opera: cum in aliis pleriſque, tum ma-

xime in his quæ nunc docere ſtatuimus.

NATVRAM *tum ingenitam: tum aſcititiam temperiem vocare ſolẽt: noſtræ enim generationis initio, ex vtriuſque, maris & fœminæ genitura, craſin, id eſt temperamentum nanciſcimur, quam nos proprie naturam à naſcendo dicimus: quemadmodum Græci eandem φύσιν, ἀπὸ τοῦ φύειν appellant. hæc ſi mutata ſit, ſeu in melius, ſeu deterius, citra tamen actionũ offenſionem, aſcititia dici poterit. Quòd ſi tantus ab æqualitate ſit mutationis receſſus, vt corporis functiones lædantur, eam neq; ſimpliciter naturam, neq; aduẽtitiam, ſed morbũ dicemus. Cõmunis itaq; omniũ hominũ natura eſt, quæ intra certos limites calidi & frigidi, humidi & ſicci cohibetur: quos vltra citraq; nequit cõſiſtere. Neq; enim quamlibet frigida, calida, humida, aut ſicca eſſe poteſt ſed intra certos elementorũ fines, vt dixi, coërcita, ſi modo duratura eſt, ad quorum mediocritatem, quo propius acceſſerit, eo temperatior euadet: contrà intemperatior, quò longius abſceſſerit. Cum igitur in hominis miſtura, elementa nunc propius ad æqualitatem accedant, nunc vero longius recedant, ſitq; aliud alio potentius. fit vt non vna ſit hominis natura, ſed quot modis ea contemperantur, totidem naturas eſſe oporteat. Atqui in miſtione calor frigiditatẽ, aut frigiditas calorem, & ſiccitas humiditatem,*

aut

aut humiditas ſiccitatē, aliquando vero duo ex his altera duo ſuperant: nōnunquam omnia propius ad æqualitatem accedunt. Nouem igitur erunt hominis naturæ: ſimplices quatuor: calida, frigida, humida & ſicca: totidem ex his compoſitæ: calida & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca, & præter has vna temperata. Illarū porrò quæq; cōmunis eſt, ſed minus quàm quæ totā naturæ ambit latitudinē. Tēperata verò quædā ſumma eſt ac conſummata, vt ſcribit Galenus, quæ cogitatione verius quàm re ipſa cōſiſtit: niſi fortè temporis momēto duret: eaq; ratione maioris & minoris diuidua non eſt. Quædā vero ab huius abſolutione, perfectioneq; paululū deflectit: habetq; latitudinē, quemadmodum & reliquæ octo: quo liquet innumeras eſſe priuatas particularesq; hominis naturas: quarum quamque Galenus propriam cuiuſque appellat. Cognoſcere igitur communem omnium hominum naturam, nihil aliud eſt, quàm in illo amplo elementorum ambitu, eam contineri noſſe, & quatenus ex elementis ad humanum temperamentum probe miſtis, conſtituta ſit. Minus cōmunē vero dignoſcere, eſt eam intelligere, nō ſolam ex elemētis conſtare, verū ex eorū vel æqualitate vel inæqualitate, non qualibet, ſed quæ in latitudine humanæ temperaturæ comprahenſa ſit: hoc eſt quatenus aut temperata, aut calida, aut frigida, aut humida, aut ſicca, aut ex his mi-

xta ſit. Particularem vero, hoc eſt cuiúſque propriam noſſe, eſt eam intelligere non modo calidam, frigidam, humidam, aut ſiccam eſſe, ſed in hoc, vel illo qualitatis exceſſu conſiſtere: particularéſq; quaſdam proprietates habere, ſeu natiuas ſeu conſuetudine comparatas. Cæterum priuatæ naturæ præ multitudine, varietate, ac perpetua mutatione ſub artem cogi non poſſunt. Nam propemodum infinitæ ſunt, perpetuóque mutantur. Ad hæc, quantum vnaquæque à iuſto temperamento recedat, ad amuſsim deprehendi non poteſt: nihilominus id coniectura aſſequi enitẽdum eſt. Fieri enim non poteſt, vt quis recte curet, niſi is non modo communem, ſed & propriam, priuatámque cognoſcat. Siquidem aliæ naturæ alia remedia efflagitant. Coniectura igitur, quoniam demonſtratione nõ licet, quantus ſit à mediocritate receſſus, diligenter diſquirendum eſt. Porrò autem nõ quemadmodum communis, ita priuata doceri poteſt: ſed aliter docemus, aliter opera tractamus. Ab vniuerſalibus enim docẽtes auſpicamur, & ad particularia deuenimus: curationem vero à particularibus, & contrario quo inuenta ſunt, ordine molimur. verbi gratia, cum febrem docere volumus, eam in toto genere contemplamur, eius naturam perſcrutantes per theoremata & principia artis: cognitam in ſuas differentias diſpeſcimus, nempe in putrem, diariam, & hecticam. Rurſus putrem & hecticam

diuidimus

diuidimus, deinceps procedendo, dum ad particulares & indiuiduas deuentum ſit. Poſtea earum cauſas omnes, vſq; ad vltimas veſtigamus. Curamus vero nō à febre auſpicati, ſed ab hac, nimirū bilioſa, qua Achilles laborat: quæ quia præſentem cauſam habet, nempe putredinē, huic prius quàm illi intendimus: quoniam rurſus ob meatuum conſtipationem fit putredo, ad conſtipationem conſilium noſtrum dirigimus. Igitur quod docendo inuentum eſt vltimum, id operando vides eſſe primum. Quocirca oppoſito ſe habēt ordine ſcripta, & opera.

EFFLAGITASTI enim, vt tibi vniuerſalem medēdi viā ac rationē, quaſi ſummatim deſcriberē: hæc autē qualitate, quātitateque remedij cuiuſque, & vtendi modo, ac occaſione, quæ horum omnium cognitu difficilima longe eſt, perficitur. Circa quam, nempe admodum præcipitem, vt alicubi autor nobis bonorū omnium Hippocrates docet, plerunque medicos nō vulgares modo, ſed & certe optimos, falli vides. Quinetiam recta aſſequi coniectura medicamenti quantitatem, pro virium ratione corpori accommodandam difficile eſſe, idem vir ſcripſit.

Vniuerſalis medendi via ac ratio, quam methodum Græci vocant, ex principio aliquo ad ſingula peragenda ordine perducit: docēdo quid

primum, quid ſecundum, quid tertium, & reliqua deinceps: & quid cũ quo, & quid ſine quo curationem efflagitet, & qua ratione ea perfici poßit. Primum enim curari debet id quod magis vrget, aut ſine quo aliud curari non poteſt: Magis vrget, quod maius periculum, ſi negligatur, allaturum eſt: Periculum autẽ affert affectus magnitudo, ſiue is morbus, ſiue cauſa, ſiue ſymptoma ſit: Affectus magnitudinẽ ſua ſubſtãtia prodit, atq; à naturali ſtatu receſſus: prætereа & partis affectæ conditio. Nonnulli enim affectus toto genere mali ſunt, vt ſyncopæ, animi deliquia, atque id genus alia, quæ vires affatim demoliuntur. Nonnulli vero ex ſe quidem pernitioſi non ſunt, ſed ſi increuerint, multumq; à naturali ſtatu receſſerint, periculo nõ vacant. Cuiuſmodi ſunt quædam febres, quæ errore vel medici vel ægroti ad tantum exceſſum deueniunt, vt hominem iugulent. Ad eundẽ modum partes aliæ alijs maius periculum minantur, vbi affectum alioqui mitem conceperint. Principia *enim virtutum, ſtomachus, & aliæ corpori neceſſariæ partes, affici vel mediocriter non poſſunt, ſine magna totius corporis iactura. Ab his igitur curationem auſpicari oportet. Exemplum habes in hoc priore libro de febre aßidua cum ſtomachi affectu, ſyncope, animi deliquijs, & alijs id genus ſymptomatis. Aliud ſine alio curari non poteſt, vt effectus ſine cauſa. Putris febris,*

exemp

exempli gratia, curari nō poteſt niſi abacta eius cauſa: nempe humorum putredine: nec putredo, niſi deleta obſtructione. Igitur vbi nihil aliud vrget in id genus affectibus, curationis ordo à cauſis petendus eſt. Quemadmodum vbi complicati ſint affectus, ab eo auſpicari curationem oportet, ſine quo reliqui curationem non admittunt. Proponatur, gratia melioris intelligentiæ, vlcus cauum in crure præter naturā calido: quoniam autem per hāc hypotheſin affectus multiplex eſt, nempe vlcus, cauitas, & intēperies partis calida, videndum eſt ex quo principio ad ſingulorum curationem procedēdum ſit: & cui primo conſulendum, cui ſecundo: & tertio: quod nos methodus ad hunc modum docebit: Vlcus, quia ſolutio continuitatis eſt in carne, vniri poſtulat: cauitas, carne repleri: crus præter naturam calidum, refrigerari, per primum illud principium, Contrariorum contraria ſunt remedia. Et quoniam vlcus probe vniri non poteſt, niſi commiſſis eius labris, cæterum committi non poſſunt, niſi ei quæ periјt caro vicaria regignatur: quod cū naturæ ſit opus, ea niſi integra, incolumiſq; ſit, hoc munus rite obire non poterit. Ex hypotheſi autem crus præter naturam incaluit, proinde eius natura imbecilla eſt, & ad procreandam carnem inepta: quare niſi reductum ſit ad ſuam naturalem conſtitutionem, ſimilem deperditæ carnem generare non poterit. Primū igitur crus

ad

ad naturã reuocabimus, deinde vlcus carne implebimus, poſtremo ſolutam vniemus continuitatem. Vniuerſalem hanc curandi rationem conſtare Galenus ait, ex remediorum qualitate, quantitate, vtendi modo, adhibendi opportunitate. Remediorum qualitas ab actione quam edit, à parte cui præcipue dicatur, & ab affectu cui medetur, ſibi nomen adoptat. Actionem edunt primæ qualitates, nempe caliditas, frigiditas, humiditas & ſiccitas, ex hiſq; natæ, vt quæ emolliunt, indurant, laxant, tendunt: quæq; ſubſtantiæ concrementum conſequuntur: cuiuſmodi ſunt quæ tenuant, incidunt, & incraſſant, & meatus infarciunt, emplaſticas vocant: quemadmodum & quæ ex ambabus ijs naſcuntur, vt aſtringens, denſans, repellens, aperiens, digerens, detergens, & aliæ id genus, de quibus fuſiſsime Galenus in libris de Simplicium medicamentorum facultatibus diſputauit. A totius ſubſtantiæ ſimilitudine vis purgatoria manat, quæ humores è corpore trahit, alia alios. Sortiuntur etiam appellationem huiuſmodi qualitates ab affectu, & affecta parte, quibus medentur: vt bechica, id eſt tuſsicularis, quæ tuſsi, ſtomachica, hepatica, quæ ſtomacho & iecori cõueniunt. Qualitates primas adhibẽdas eſſe oſtendunt affectus quidem contrariã, vt calidus frigidã, frigidus calidam, & alij pari modo. Temperatura vero ſimilem, calida quidem calidam, frigida frigi-

dam

dam, humida humidam, & ſicca ſiccā. Ad eundem modum aliæ qualitates, tum quæ ex primis naſcuntur, tum quæ ex ſubſtantiæ craſſamento, tum ex vtriſq; ortum habēt: cōtrarijs affectibus & ſimilibus tēperaturis adhibentur: vt emollitæ præter naturā ſubſtātiæ, quæ indurāt: raræ, quæ denſant: & reliquæ pari modo. Sola vitioſi humoris cōditio purgatoriā vim præſcribit, vt bilis quæ bilē trahat: pituita, quæ pituitā. Quemadmodum quæ à loco & eius affectu nomen accepit, tum loci ipſius, tum morbi natura, quam adhiberi oporteat, oſtēdit. Venter enim, ſtomachus, & iecur, medicamēta efflagitant, quæ robur ſeruare poßint: cuiuſmodi eſt abſinthium. Quòd autem tum morbus tū affecta pars peculiare quoddam remedium deſiderent, id fit vel occaſione ſupradictarum qualitatum, vel quòd nō antè medicamenti vis ſuo fungitur munere, quàm à natura excitata ſit. Nā quæ partium craßitie pollent, viſcoſaq; ſunt, motu pigra exiſtunt. ideo primis partibus hærent, in quibus natiuum experta calorem, vim ſuam exerunt. Tenuia vero celeriter in lōginquas partes perueniunt, antequam in actum, vt dicitur, reducantur: vbi vim ſuam exercent, vt cantharides in veſica: hinc fit vt alia iecori, alia lieni, alia alijs partibus conferant. Sic nonnullarum partium vt iecoris & ventris robur ſeruare debet, ſcilicet vniuerſo corpori neceſſarium. Ideo leniter aſtringentibus,

hoc

hoc eſt quæ naturæ partis robur tueantur deſiderãt: cuiuſmodi eſt abſinthium. Pari modo nõnulli morbi peculiaribus remedijs iuuari credun tur, vt comitiales pæonia, nõ autẽ occulta, ac deli teſcente vi, ſed quatenus humores hunc morbum efficientes extenuat, ac digerit. Quantitas non ſolum molem, & menſuram, verum etiam facultatis ordinem, ac gradum & numerum adhibendorum medicamentorum continet: hæc omnia definiunt magnitudo affectus, propria corporis natura, virium robur, partis conditio. Affectus nomine intelliguntur morbus, eius cauſa, & ſymptomata. Magnitudo ſub ſe cõtumaciam affectus cõtinet: etiam ſi alioqui exiguus ſit. Igitur affectus magnus, non ſolum medicamenti copiam, ſed & vehementiam poſtulat: exiguus minorem modum, & vim remiſsiorem, atq;, vt ſemel dicam, æquali medicamentorum exceſſu, contrarius naturæ exceſſus abigendus eſt. Nam quemadmodum medicamenti facultas, tum mole minor, tum viribus ignauior, ad mediocritatem, quod exceſsit, non reducit, ſic maior vehementiorq́; oppoſitum exceſſum inuehit: tantum quidem, quantum ipſa naturæ exceſſum ſuperabat. Neq; enim alia ratione calidum, & frigidum medicamẽtũ dicimus, quàm quòd calfacit & refrigerat: ſic & mediocriter calidum, quod modice cãlfacit: & in primo ſecũdo, tertio, quartóve exceſsu calidũ, & frigidum, quod hoc aut

illo

illo exceſſu corpus calfacit, ac refrigerat. Vbi igitur vehementer immutandum corpus eſt, vehementer immutantibus eſt opus: vbi modice, iis quæ modice immutẽt: vbi in ſecũdo, tertio, quartóve ordine, medicamẽta, quæ ſimiliter afficiant adhibẽda ſunt. Pari modo in alijs qualitatibus factitandũ eſt, vt aperientibus, & detergẽtibus. Sic par pondus, & menſura in pari morbi magnitudine adhiberi debet: itaq; remedij quantitas quàm maxime fieri poteſt, affectus magnitudini reſpondeat. Pertinacia affectus medicamẽti quantitatem variat: ſi quidem is facile ſolui poſſit, parcius ac rarius offerendum eſſe cõmonſtrat: ſin ægre ac pertinaciter, liberalius & frequentius. Quemadmodum & vires ſi validæ ſunt, largius & frequentius admittunt: ſin imbecillæ, parcius. Corporum propriæ priuatæq; naturæ vt variæ ac differentes ſunt, ita variũ medicamenti modũ poſtulant. Sunt enim quibus id in alimentũ vertitur, ſi deuoretur: ijq; liberalius ac vehemẽtius ſumũt. Alij contrà à quouis facile lædũtur, ſic vt interdũ ſolo eius olfactu ad vomitũ prouocẽtur: atq; ijs parcius, ac blãdius adhibẽdũ eſt. Cõditio partis ſentiẽdi præſtantiã ac hebetudinẽ, craſſamentũ, officium, formationem, ſitũ, ac societatẽ cum alijs partibus, cõplectitur. Acutus enim ſenſus vehemẽs ac copioſum medicamẽtũ reſpuit, quod obtuſus, hebesq; admittit. Queãdmodũ rara, mollis, & laxa materia mi-

tius, denſa, dura ac compacta, valentius recipit: ſic partes principes, & quæ vniuerſo corpori officium ſuũ præſtant, quales ſunt ventriculus, iecur, cor, & cerebrum, blandius, ac parcius. Contrà obſcuræ, ignobiles, & quæ munus publicum non habent, acrius & liberalius ferunt, vt poſtea fuſius docebitur. Formatio quoq; partis eandem habet rationem. Siquidem partes quæ tam intra ſe, quàm extra vias habẽt faciles ac patentes, mitius ac parcius: quæ vero meatibus carent aut anguſtas vias habent, vberius & acrius efflagitãt, vti poſteriore libro dicetur. Situs, & ſocietas partium, medicamenti & vim & molem variant. Nam quæ in ſuperficie conſtitutæ ſunt, & quæ ſocietatem cũ vẽtriculo & inteſtinis habẽt, paucum ac mite: quæ vero longe à vijs purgatorijs diſtant, largum ac vehemens exigunt.

Vtẽdi medicamenti modũ ac rationẽ oſtẽdũt, humoris natura, via per quam humor ipſe educitur, locus cui remediũ adhibetur, & medicamenti vehementia, morbiq; conditio. Nam ſi humor vacuãdus in nobilẽ partẽ vergat, hũc retrahere, vel deriuare expedit in locũ conuenientẽ: qualia ſunt inteſtina, veſica, vterus, cutis vniuerſa, palatũ, nares: & per conuenientem viam, hoc eſt rectum tramitẽ, ac per directũ, ad locũ affectũ. Sin in ignobilẽ, & per cõmodã viam, ſinẽda natura eſt, modo par ſit humori vacuãdo. Sin minus, iuuanda. Quòd ſi reſideat humor in aliqua corpo-

ris

ris parte, iſq́; quantitate magis quàm qualitate delinquat, educi ſanguinis miſſione debet. Sin qualitate, & ad excretionem paratus ſit, protinus educere per idonea, vt dictum eſt, loca oportet: qui ſi craſſus ac lentus ſit, prius extenuari incidiq́; poſtulat: poſtea, vt modo docui, vacuari idoneis medicamentis. Sin farta via eſt detergi, aſtricta laxari debet: poſtea humor vacuari. At ſi neq; ſtricta, neq; obſtructa ſit, aut alio quouis modo impedita, quominus per eam humor fluat, ſi quæ de humore modo dicebamus, conſentiant, protinus hunc vacuare oportet. Cæterum, ſi affectus magnitudo vehementiſſimum remedium efflagitat, non continuo id adhibendum eſt, ſed remiſſius primum, deinde paulatim inauctis eius viribus, tantiſper dum morbi magnitudinem æquet, offerendum. Non enim ſubitas vehementesq́; mutationes natura ſuſtinet, præſertim iam morbo imbecillior reddita. Ad eundem modum, vbi corpus larga euacuatione eget, ſed per imbecillitatem, aut aliam occaſionem, hanc ſemel ferre non poteſt, ea in multas eſt partienda, vt in cacochymia. Locus vero, cui adhibetur remedium, medicamenti formam potius, quam miniſtrandi modum docet: ſiquidem alia ano, alia vtero, alia oculis medicamenti forma adhibenda eſt. Occaſionem Græci καιρὸν vocant, id eſt temporis partem, in ſe habentem rei alicuius idoneam faciendi, aut non

facіendi opportunitatem. Curandi autem καιρὸν Hippocrates ὀξὺν, id eſt, celerem eſſe ac præcipitem ait, celeriterq; tranſeuntem, ob perpetuum ſubſtantiæ corporis fluorem, vt Galenus interpretatur, ſcilicet alterantibus cauſis, tum internis, tum extrinſecus incidentibus obnoxiæ. Morbus enim, vt alias cauſas taceam, maxime corpus immutat, atq; eò reddit imbecillius, quo vehementior eſt. Quò vero grauius affligit, eò celerius exigit remedium. vnde fit, vt celeris ſit exhibendi remedij opportunitas. Remediorum autem opportuna tempora, in genere quidē, ex præſentia eorū, quæ remedia efflagitant, & eius abſentiā, quod poteſt exhibitionē impedire, deſumuntur, vt autor eſt Galenus. Remedia efflagitant morbus, eius cauſæ, & ſymptomata. Nullo enim tempore hæc auxilijs non egent. Nam quicquid in corpore præter naturam eſt, quocunq; morbi tempore, ſiue principio ſtatim, ſiue incremento, ſiue ſtatu ſiue declinatione ſui ablationem indicat. At non omnia omni morbi tempore opportuna ſunt auxilia: ſed alia in principio, alia incremento, alia ſtatu, alia declinatione conferunt. Vacuatio enim, etſi hanc febris, verbi gratia, ex humorum putredine perpetuo efflagitet, non tamen omni tempore commode adhiberi poteſt: ſed tantùm, eum virium robur id permittit: hoc eſt, vt dicebamus, abſentia eius, quod prohibere adhibitionem poteſt: hoc autem eſt vi-

rium

rium imbecillitas. Itaq; à tempore morbi vires, à viribus occaſio adhibendi remedij petitur: his ſi adiunctus ſit motus, vel humoris, vel naturæ, vel vtriuſque, maxime remedia offerre licebit. Oſtenſum autem eſt, omnem præter naturã affe-ctum, ſemper ſui ablationẽ efflagitare: præſenſq; virium robur, id eſt, virium imbecillitatis abſen-tiam, remedium admittere. Valent autem vires magna ex parte, & per initia horum morborũ, & declinationes. Igitur per ea tempora licet re-media adhibere. Per initia quidem ſanguinis miſsionẽ, aut purgationem, ſi materia turget, aut ad excretionem alioqui parata ſit: in declinatio-ne vero maxime purgare licet, cum tunc & hu-mor concoctus, excerniq; idoneus ſit, & natura morbo ſuperior ad expulſionem moueatur. Eo-dem modo per acceſsionum particularium prin-cipia prouocare vomitum licet, in declinatione vero inferiorem ventrem mouere, aut ſudores e-licere, naturæ motum imitantes. Particulatim verò remediorum tempora, tum ex antè comme-moratis, tum ex alijs, quæ omnino ſcribi non poſ-ſunt, petuntur. Cum enim non omnes morbi æ-qualia habeant tempora, nec eadem ſymptoma-ta, remedium aut impedientia, aut accelerantia, atq; ægrotorum diuerſæ ſint particulares natu-ræ, propemodumq; infinitæ, vt oſtenſum eſt: a-liaq; id genus inueniantur, quæ adhibendi reme-dij occaſionem variant: quod temporis momen-

tum omnibus idoneum præſcribi poterit? Non eſt igitur facile ſingulis ſua tempora inuenire. Itaque medicos vel doctiſsimos, circa hanc occaſionem ſubinde hallucinari cõtingit. Quòd verò nec promptum ſit idoneam medicamenti quantitatem pro virium ratione adhibere; vel ex eo conſtat, quòd exacte corporis vires, ac medicamentorum facultates metiri non poſſumus: ſed coniectura tantùm, quam non omnes probe aſſequi valent.

CVM igitur ad rectam curationem plurimum conferre tum occaſio, tum quantitas remediorum conſtet, ſint autem hæc ſingulis ægrotis propria, nihil vero quod proprium ſit verbis explicari poſsit: hac ratione, quod commune eſt ſcribere cogimur, tametſi id vſu ſit ſecundum.

Non ſolum adhibendorum remediorum occaſio, & quantitas, ad rectam curationem conferunt: verumetiam qualitas & vtendi modus, vt proxime declaratum eſt. Ea vero omnia ſingulis ægrotis propria peculiariaq; inſunt: neq; enim eadem medicamenti quantitas, neq; qualitas omnibus conuenire poteſt, nec eodem morbi tempore adhiberi, nec omnibus eodem modo miniſtrari: inſuper particulares naturæ innumeræ ſunt, vt docuimus, morbi quoq; particulares innumeri: vnuſquiſque vero tum morbus, tum ægrotus proprium efflagitet remedium:

quot

quot naturæ, & morbi ſunt particulares, totidem remedia particularia eſſe oportet: nempe infinita: proindeq́; ineffabilia. hæc igitur cum propria vnicuiq; inſint, propria autem verbis explicari non poßint, quæ communia ſunt, ſub artemq́; cogi poſſunt, ſcribere tentat Galenus: non autem propria, quæ explicari non poſſunt. Quod itaq; commune eſt ſcribit, licet in exercenda arte ſecundum locum obtineat.

PLERVNQVE enim ægrotos quoſdam inuiſimus, quibuſcum antea, dum ſani eſſent, verſati non fuimus: proinde quem colorem, quam corporis habitudinem, quem natiuum calorem, arteriarumq́ue pulſum antè habuerint, ignoramus: quæ ſi antè perſpecta nobis fuiſſent, morbi vtique magnitudinem probe iudicare potuiſſemus. Cuiuſque enim morbi magnitudo tanta eſt, quantum à naturali ſtatu recedit. Quantum vero recedat, ſolus is nouit, qui naturalem habitum ad amußim tenuerit. Quod cum in illis ipſis ignoremus, ne omnino hæſitemus, ad id quod commune eſt, confugimus. Nam in hoc artis peritus imperito plus nonnihil poteſt. Quid vero plus? Hippocrates quidem omnium quos nouimus, id primus literis mandauit. Qui autem poſt hunc fuerunt, eiusq́ue ſcripta intellectu conſequuti ſunt, fuſius ſunt interpreta-

ti inter quos fuit Mneſitheus Atheniẽſis, vir cum in omnibus aliis, quæ ad artem pertinent non mediocriter eruditus, tum in exercenda arte, quantum via ac ratione licet, nulli peritia ſecundus.

Obiter hoc loco ſigna enumerat, quibus natura cuiuſque deprehendi poßit: quæ quoniam paulopoſt plenius tractabuntur, nunc explicanda non ſunt: interim tamen monebimus eorum cognitionem, ad rectam curationem eſſe pernecesſariam: quando morbi magnitudo ſine his minime haberi poteſt: ſiquidem ea tanta eſt, quantus eſt à naturali ſtatu receſſus: quem nos non à mediocritate, ſed à propria cuiuſq; natura, metimur. Huius rei intelligendæ gratia, fingamus Achillem natura eſſe calidiorem duobus numeris ſupra æquale temperamentum, Hectorem vero temperatum: vtrunq; tertiana laborare, quæ excedat, exempli gratia, vtriuſq; natiuum temperamentum tribus numeris: dico parem in vtroque exceſſum præter naturam eſſe, nempe calorem tribus numeris excedentem: Achillem Hectore nihilominus calidiorem eſſe. Nam cum ex hypotheſi, ille duobus numeris calidior ſit natura, hic temperatus, vterq; æquali exceſſu præter naturam laboret: Achilles quidem à mediocritate quinque numeris, Hector vero tribus ſolum excedet. Quòd ſi ab hac totidem nu-

mer

meris præter naturam Hector recederet, grauius quàm ille laboraret, vt qui à ſuo temperaménto longius abſcederet. Itaque neceſſaria eſt priuatæ cuiuſq; naturæ ad magnitudinem morbi habendam, cognitio. Signa igitur: morboſa cum ſalubribus cōferre oportet: æſtimareq́;, quàm illa ſint ab his mutata: hoc eſt, quantum color, calor, pulſus, corporis habitudo præſens, à priſtina recedat: tum ſic ad veram curationem accedere facile poteris. Si vero incognita ſit propria ægrotantis natura, proindeq́; à natiuo ſtatu receſſus, ad commune confugiendum eſt. quod ſi non exactam magnitudinis morbi notitiam, ſaltem artificioſam coniecturam attulerit. Communia vero ſunt, ægrotantis ætas, temperatura, regio, tempus, morbi ſpecies, victus ratio, & alia id genus, quæ ſuo loco docebuntur.

HIC Mneſitheus à primis ſummiſque generibus auſpicatus, ea in alia item genera, ſpecies & differentias, ſecanda eſſe cenſuit. Hæc denuo in alia ſimiliter: quæ rurſus eodem modo diſtribuerentur, dum ad aliquam talem deſcenderemus ſpeciem, quæ diuiſa in vnum numero ac indiuiduum deſineret. Mihi vero ſatis eſt tibi ſententiam meam breuibus explicuiſſe. Nam ridiculus forem, ſi te tua docerem, tanquam ea pridem ex Pla-

tone non didiceris. De hac re igitur meminimus, non vt te diuidendi rationem doceremus, ſed quòd ad ea, quæ pòſt dicentur, omnia, non inutilẽ fore ſperaremus, quodq́; aliter tibi cauſas, ob quas medicorum plurimos paſsim errare contingit, efflagitanti non alia via melius indicare poſſemus. Etenim quicquid tum in aliis ſectis, tum à multis medicis in morborum curationibus delinquitur, primam id maximamq́; cauſam habet, vitioſam diuiſionem. Quidam enim in primis, ſummiſque generibus ſtatim ſubſiſtunt, ſolis indicationibus, quæ ab illis deſumuntur, contenti. Quidam quadam tenus diuidendo proceſſerunt, ſed ad diuiſionis metam non peruenerunt, multi autem perperam diuiſerunt.

Quàm neceſſaria ſit diuidendi ratio ad curationem, qualisq́; eſſe debeat, & quæ in ea vitia committantur, oſtendit. Sub diuiſionis nomine Partitio, & Reſolutio continentur. Genus autem proprie in ſuas ſpecies, ac differentias diuiditur: totum in ſuas partes diſtribuitur: effectus vero in ſuas cauſas, & cauſæ in ſuos effectus: finis quoq; in ſua media reſoluitur. Genus igitur diuidi debet in proximas ſemper ſpecies, ac differentias: quæ rurſus in propinquas eodem modo diſtribuuntur, rurſuſque in alias.

alias, dum ad eam peruentum ſit ſpeciem, quæ amplius diuiſionem non recipit. verbi gratia. Morbus alius ſimplicium partium, quas ſimilares vocant, alius inſtrumentalium eſt, alius vtrarumq; communis. Rurſus ſimplicium partium morbus alius calidus, alius frigidus, alius humidus, alius ſiccus, alius ex his mixtus: qui in alios poſtea morbos non diuiduntur, niſi ratione maioris & minoris differentes. Eodem modo reliquæ morbi differentiæ ſecari poſſunt, vt ex Galeni libris de Differentijs morborum cōſtat. Effectus vero in ſuas ſemper proximas cauſas, vt febrem in putredinem, hanc in prohibitam tranſpirationem, quam in meatuum conſtipationem, rurſus hanc in obſtructionem, & aſtrictionem reſoluimus. Et obſtructionem in humorum tum abundantiam, tum craßitudinem, tum lentorem: Aſtrictionem in cauſas euidentes, vt in frigus, & aquas aluminoſas: Craßitudinem, & lentorem in antecedentem victus rationem: Et cauſæ in ſuos effectus: vt meatuum conſtipatio in putredinem, putredo in febrem. Sic finem in ſua media reſoluimus. Exemplum in ſeptimo τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ ab Ariſtotele exprimitur, ad hunc modum: Fit autem ſanum ita cogitante medico: Quoniam ſanitas eſt tale quid, neceſſe eſt, ſi ſanum futurum ſit, vt hoc adſit, nempe æqualitas: & ſi hoc, caliditas: ſi vero caliditatem adeſſe oporteat, opus eſt frictione. Po-

nit enim morbum eſſe frigidum. Partimur autem totum, ac compoſitum in ſuas partes: vt corpus in caput, thoracem, ventrem, manus, pedes &c. Medicina in ſcientiam ſalubrium, morboſorum & neutrorum: aliæ ſunt differentiæ diuiſionis, vt πολυσήμυ in ſua ſignificata: & ſubiecta in ſua accidentia: hanc vocat Cicero enumerationem, vbi ſingula quæ rei alicui inſunt, enumerantur. vt ſi quis Franciſci Galliarum regis, huius nominis primi, dotes recenſeret: eas primum, in animi, & corporis virtutes diſtribueret. Rurſus animi, in liberalitatem, æquitatem, clementiam: Corporis, in pulchritudinem, & robur. ſed hæc ad rhetoras magis ſpectant. Vbi vero in oppoſita accidẽtia ſubiectum diuiditur, rationem habet veræ diuiſionis: vt corporis humor alius calidus, alius frigidus, alius humidus, alius ſiccus. Contrà diuiditur accidens in ſubiecta, vt morbus alius ſimplicium partium, alius inſtrumentalium, alius vtrarumq;. Diuidendi formas ignorant, qui plura quàm par ſit diuidendo attingunt: neceſſaria omittunt, qui generũ ſpecierumq; ordinẽ luxant. Plura attingunt, qui accidentia quædam quæ neceſſaria ad rem propoſitam nõ ſunt, in diuiſionem afferunt: veluti cum febrem diuidunt in rubram cum alijs differentijs. Neceſſaria omittunt, vbi aliquod intermedium genus vel ſpecies omittitur. Luxatur ordo, cum ſuperius inferiori ſubijcitur: hoc eſt, ma-

gis

gis commune, minus communi. Quòd autem diuidendi ratio ad curationum inuentionem ſit neceſſaria, ex ſequentibus patebit.

AT quiſquis omnia, & quæ ſecundum, & præter naturam ſunt, ad hanc viam, ac rationem reuocarit: & ex omnibus iis quæ per diuiſionem inuenta ſunt, integras deſumpſerit indicationes: ſolus is, quantum per humanas vires licet, medendo non errauerit: notos quidem aliis melius, ignotos vero, quàm fieri poterit maxime ſecundum illos curauerit. Si quis enim probe diſtinxerit primum ætatum, deinde temperaturarũ differentias, & vires, multaque id genus, quæ homini inſunt, cuiuſmodi eſt color, calor, corporis habitudo, arteriarum motus, conſuetudo, ſtudia, & animi mores, quibus addiderit maris & fœminæ diſcrimen, & quæ ad regiones, anni tempora, & alias ambientis nos aëris conſtitutiones, ad propriam ægrotantis naturam propè accedet. Verum alia quidem horum omnium in libris de Pulſibus, alia vero in libris de Temperamentis diſputata ſunt: quemadmodum & quæ præter naturam ſunt vniuerſa, vt inter ſe formis ac generibus differant, in libris de Affectibus à nobis definita ſunt.

Secũdum naturam ſunt, ſanitas, vires, ſani-

tatis

tatis tum cauſſæ, tum effectus. Præter naturam vero, morbus, morbi tum cauſæ, tum ſymptomata. Sanitas ſimplicium quidem ac primarum partiũ, ex calidi, frigidi, humidi, & ſicci ſymmetria: inſtrumentalium vero, ex commoda magnitudine, numero, forma, & ſitu conſiſtit. Quoniam autem nouem, vt diximus, modis elementa miſcentur, nouem erunt ſymmetriæ, id eſt temperaturæ: totidemq́; primarum partium ſanitates. Rurſus quoniam inſtrumentorum fabrica ex quatuor abſoluitur, nempe magnitudine, numero, forma, & poſitione, quatuor erunt eorum ſanitatis differentiæ: quæ ſi omnia inſtrumento adſint, ſumma erit inſtrumenti ſanitas, quatenus inſtrumentum eſt. Nam eius ſimplices partes intemperantia laborare poſſunt, & earum fabrica inculpata eſſe. Si vero abſoluta ſit tam primarum partium temperies, quàm inſtrumentorum commoderatio: & abſoluta omnino erit ſanitas. Sin vtraq; deflectat ab hac perfectione, citra tamen actionum læſionem, ſanitas quidem erit, ſed eò imperfectior, quò à iuſto modo magis recedet. Cæterum forma, partis figuram, cauitatem, aſperitatem & læuitatem complectitur: Figura, curuitatem, rectitudinem, planiciem, & ſimilia corporis inſtrumentis commoda: Cauitas vero, raritatẽ, denſitatem, obſtructionẽ. Vires autẽ ſunt, aĩalis, vitalis, naturalis. Animalis, ſenſilis, motrix, princeps. Princeps imaginatio, intellectus.

lectus, memoria. Cauſæ, quæ ſanitatem ſeruant ſunt, admouenda, efficienda, foris incidentia, & educenda, quæ in libris de Sanitate tuenda Galenus fuſiſsime tractauit. Rite enim miniſtrata ſanitatem tuentur: proinde ad res ſecundum naturam referuntur. Contrà improbe adhibita morbos pariunt: ideo ad rés præter naturam reducuntur. Effectus ſanitatis, actio proba, & excrementa, qualitatéſque ſecundum naturam. Actiones totidem ſunt, quot virtutes: vt ſentiendi, mouendi, & reliquæ qualitates, quæ ſenſibus deprehenduntur, calor & humiditas tactu: color, viſu: vox, & ſonus, auditu. Excremēta, quæ tota ſubſtantia, quantitate, & qualitate ſecundum naturam ſe habent. Res præter naturam, ſunt morbus, eius cauſæ, & ſymptomata: quorum diuiſio ampliſsime in Galeni libris de differentijs, & cauſis morborum & ſymptomatum monſtrata eſt. Igitur indicatio à rebus ſecundum naturam deſumpta, prima & communiſſima cuſtodiam ſanitatis, & eius tum cauſarum, tum effectuum, quæ aderant incipiente morbo, commonſtrat, ita, vt per morbum mutari non debeant, etiamſi à mediocritate deflexerint. Itaque bilioſæ naturæ ægrotanti danda ſunt, quæ hanc conſeruent, & reliquis pari modo à quibus particulares ſumuntur indicationes: eo ordine ſemper procedendo, quo diuiſa fuerunt. Abſoluta, gratia exēpli ſanitas primarū

partī

partium cauſas efflagitat, quæ ſe tueantur moderatiſsimas, calida calidas, frigida frigidas, & reliquæ ſimiliter temperaturis, ex quibus natæ ſunt, gradu & ordine reſpõdentes. A rebus verò præter naturã ſumitur indicatio: prima quidem & generaliſsima, quæ morbum, eius cauſas, ac ſymptomata abigenda eſſe docet. Particulares verò à particularibus morbis, quo ordine inuenti per diuiſionem fuerunt. Quoniam igitur morbus alius intemperantia eſt ſimplicium partium, alius inſtrumentorum incommoderatio, alius vnitatis ſolutio: intemperantia quidem ad temperamentum reduci poſtulat: incommoderatio ad commoderationem: & continuitatis ſolutio ad vnitatem. Rurſus intemperantia alia calida, alia frigida, alia humida, alia ſicca eſt: calida refrigerari, frigida calefieri, humida ſiccari, & ſicca humectari cupit. Ad eundẽ modũ & reliqui particulares morbi ſimptomata, & cauſæ: ſemper procedendo ad indicationũ inuẽtionẽ, quo ordine inuentæ per diuiſionem ea fuerunt. Ex quo liquet, diuidendi rationem ad morborum curationem eſſe pernéceſſariam: ſiquidem diuiſio eorum curandorum omnes ſuggerit indicationes. itaque ſi quis hanc probe norit, medicando non errabit, quantum per humanas vires licet. verùm cognitos quidem melius quàm incognitos: quanquam & hos probe curabit. Ad propriæ vero cuiuſque naturæ cognitionem propè

accedet,

accedet, quiſquis apte diſtinxerit ætatum & temperaturarum differentias, vires, colorem, calorem, corporis habitudinem, arteriarum pulſum, conſuetudinem, vitæ genus, animi mores, ſexum, anni tempora, regiones, & alias ambientis non aëris conſtitutiones. Hæc enim, qualis cuiuſque ſit natura, oſtendunt. Siquidem aliæ ætates alias habent naturas. pueri enim humidi ſunt, adoleſcentes temperati, iuuenes calidi & ſicci, ſenes frigidi & ſicci. Sic temperaturæ aliæ calidæ, aliæ frigidæ, aliæ humidæ, aliæ ſiccæ, aliæ ex his mixtæ, aliæ vero temperatæ: quarum quæque certis notis deprehenditur: quæ ex Galeni Parua arte diſcendæ ſunt. Vires per ſe quidem non apparent, ſed à ſuis produntur actionibus: animalis quidem à mouendo, ſentiendo, apprehendendo, intelligendo, & memorando: vitalis ab arteriarum pulſatione: naturalis à concoctione: quam rurſus excrementa patefaciunt. Color quoque corporis naturam teſtatur. Similis enim efflorefcit cutis humoribus, vt autor eſt Galenus. Itaque ater atram bilem, flauus flauam, albus pituitam, rubicundus ſanguinem abundare in corpore ſignificat: qui humores cuiuſque propriam naturam perſpectam reddunt. Calor etiam naturam illuſtrat: ſi quidem mitis eſt, naturam temperatam: ſi acrior, bilioſam eſſe ſignificat. Quemadmodum corporis habitudo carnoſa, calidam & humidam: pinguis, frigidam

&

& humidam: extenuata aridam, & quadrata temperatam. Arteriarum pulſus differentias, & quam quæq; naturam nuntiet, abunde Galenus in libris de Pulſibus tradidit, Conſuetudo verò naturæ proprietatem docet. Nam ex longo otio, victu humido & largo humidior natúra euadit: quemadmodũ aridior ex labore, victu ſicco & parco. Vitæ genus, id eſt ars quam quiſque exercet, ſi magni ſit laboris, & calido ſiccoq; loco exerceatur, vt ferraria, calidam ſiccamq; naturam reddit. Contrà, humidam & frigidam, ſi corpus non fatigat, & loco frigido & humido exerceatur. Animi quoque mores, qualis cuiuſque natura ſit, docent: ira enim & furor teſtes ſunt caliditatis: iræ verò vacuitas, frigiditatis. Regio, temporis conſtitutio, & ambientis nos aëris conditio, qualis quæq; eſt, talem & reddit, & teſtatur eſſe naturam. Sexus verò naturæ eſt index: vir quidem, calidæ & ſiccæ: fœmina verò, frigidæ & humidæ.

NVNC vero omnis noſtra diſputatio de ijs ægrotis erit, quos exacte, antequam morbum contraherent, noueramus: cum quibus tamen & reliquos omnes quorum nobis nõ erat perſpecta natura, intelligemus. Siquidem difficile non fuerit, ex eo quod perfecte diſtinctum eſt, id etiam quod tale non ſit, inuenire.

Quoniam omnis ars à notioribus ad ignotio-

ra

ra procedit,primũ de ijs Galenus diſputat ægrotis,quorum naturam ad amuſsim, dum ſani eſſent,perſpectam habueris. Poſtea de ijs, quorum natura prius,quàm morbus inuaſiſſet, incognita fuit. Facilè enim,vt inquit, ex certo, exquiſiteq́; cognito,quod incognitum eſt,inuenitur.

IGITVR à febribus, quoniam harum curandarum rationẽ habere cupiebas, auſpicemur:primumq́; de ſimpliciſsimis, quas Hippocrates ephemeras, id eſt diarias vocat, diſſeramus.

Febrem eſſe Galenus ait natiuum calorem in igneum verſum. Is autẽ natiuus duplex eſt: alter, quem idem autor nunc aëream, nunc ſanguineam ſubſtantiam, nunc vero ſpiritum vocari ſcribit,temperatus, non vbique ſui ſimilis:in alijs enim partibus elaboratior, in alijs minus elaboratus (quemadmodum & ſanguis) exiſtit: omnium naturæ functionum autor, proinde in nulla corporis parte non continetur, in ſpatijs quidem inanibus plurimus. Is pro tẽporum,ætatum,& victus ratione,modò auctior, modò minutior,& modò acrior,modò mitior exiſtit. Ventres inquit Hippocrates, hyeme calidiores, id eſt plus continent calidi innati: quòd eo tempore cutis ſpiracula, caloris exhalationem prohibeant, rigore aſtricta. Item eodem tempore mitior, æſtate verò parcior, & acrior: pari modo, pueri plus vernaculi caloris, eiúsque mi-

tioris : iuuenes minus, ſed acrioris habent. Sic & qui calido & humido victu vtuntur, maiorem eius portionem, quam qui ſicco & frigido, obtinent. Alterum calorem Galenus virtutum ſubſtantiam, aut primarium ipſarum inſtrumentum eſſe ſcribit: hoc eſt quatuor elementorum, vel eorum primarum qualitatum contemperamentum. Cum enim elementorum ſubſtantiæ miſcentur, & eorum qualitates miſceri neceſſe eſt. nihil ergo refert, an harum, an illorum temperaturas, caloris ſubſtantiam eſſe dixeris: quanquam qualitatum eſſe, magis probet Galenus. Ex harum igitur ſymmetria, vires: ex viribus, proba actio naſcitur. Cum autem varia ſint in corpore partiũ contẽperamẽta, variæ erũt natiui huius caloris differentiæ: aliæ enim partes ſolidæ ſunt, aliæ humores, aliæ ſpiritus: quarum cuiq; ſuus ineſt calor: qui cũ ſeipſo calidior fit, ac velut igneſcit, febrẽ procreat, in ſpiritu quidem diariã: in humore vero, ſi quidẽ putris ſit, putrẽ: ſin putredinis expers, ſynochum: in ſolidis autem partibus, hecticam. Solidas nunc intelligo, non ſolum verè ſolidas, ex ſemine genitali conditas, ſed quæ contra humores diſtinguũtur, vt Galenus docet: hoc eſt, quæ craßiores durioresq́; ſunt: in quo genere continentur, humor inſitus, caro, & verè, ſolida ſubſtantia: in qua veluti baſi omnium aliarum partiũ, virtutis ſubſtãtia conſiſtit: id eſt, calor naturalis: quem Galenus natu

vam ſolidas partes diſpenſantem ac moderantem ab Hippocrate vocari ſcribit. Eiuſmodi autem partes corpus noſtrum conſtituunt, quæ cũ igneam ſuſcipiunt caliditatem, vt diuerſæ inter ſe ſunt, ſic diuerſas febrium differẽtias efficiũt. Quoniam igitur ſpiritus corporis ſimplex eſt, vna tãtũ erit diariarum ſpecies humor verò quia multiplex, multiplicem differentiã cõſtituit. Cõcalfactus enim præter naturam ſanguis, ſynochum: putris verò bilis in venis quidem, aſsiduam: in genere verò carnoſo tertianam facit. Ad eũdem modum pituita, & bilis atra varias febrium formas gignunt: vt poſtea docebimus. Eadem ratione hecticæ tres ſunt ſpecies. Prima, cum inſitum humorem calor præter naturam iam obſedit. Secunda, vbi carnoſum genus occupauit, & inſitum humorem iam depaſcit. Tertia, vbi verè ſolidis partibus inhæſit. Simpliciſsimas vocat diarias, quia breuiſsimæ, placidiſsimæ, mitiſsimæq́; ſunt, minimeq́; maleficæ cum ſecuritatis indicijs ſine malis accidentibus: vt plurimum enim diem integrum non excedunt: ob id quod materia, in qua ſubſiſtunt, nempè ſpiritus, facilimè diſcutitur: nec mala accidentia has comitantur: ſiquidem calor in blando vapore mitis ac ſuauis eſt.

HAE autem ex laſsitudine naſcuntur, temulentia, ira, mœrore, excandeſcentia, furoréve, aliisque vehementibus ani-

mi curis.

Ex vehementi fatigatione in muſculis, neruis, copulis, & articulis, laßitudinis ſenſus oboritur: tẽſiuus, vlceroſus, vel inflammatorius, pro humoris affectionem afferentis conditione. Eiuſmodi enim partes primo caleſiunt, deinde calorem vicinis partibus diſtribuunt: qui cum ad cor peruenit, febrem perducit. Quinetiam citra laßitudinis ſenſum, ex ampliori motu febris accenditur. Temulentia quoque febrem gignit: vinum enim, præſertim calidum, ſi immodice ſumatur, vbi à corpore calorem accepit, feruentem vaporem ad cor tranſmittit: vnde febris naſcitur. Eandem vim habent gignendæ febris cibi calidi. Iracũdia etiam, cúm ſit quaſi feruor quidam, ac motus vehemens iraſcentis facultatis. In mœrore autem reuocati ad ſuam originem ſpiritus ſeſe accendunt, In animi vero curis ac cogitationibus in cerebrũ ferũtur, vbi accenſi calorem cordi ſuggerunt, ac febrim pariũt. At furor, & excandeſcentia, quæ vehemens ira eſt, ſpiritus celeriter intrò reuocatos accendit. de his paulo pòſt plura.

IN hoc genere continentur, & quæ à bubone originẽ ducunt: exceptis iis, quæ ſine manifeſto fiunt vlcere. Hæ enim ſuſpicione non vacant: miniméque mites ſunt.

Bubones fiunt à deliteſcente intus cauſa, vt viſcer

viſcerum inflammationibus, humorum vel malignitate, vel plenitudine, ſæpeq́; ex peſtilenti humore. vnde certũ eſt ortas ex his febres, mala ſuſpicione non vacare, præcipuè peſtilentes: quæ toto genere pernicioſæ ſunt: quemadmodũ & quæ ex viſcerum inflammationibus naſcuntur. Ex corporis autem plenitudine, & malo humore, curatu quidem difficiles ſunt, ſed quàm hæ minus periculoſæ. Ex euidentibus cauſis orti bubones, febres omnino mites omniq́; periculo vacantes, pariunt. Euidentes cauſæ ſunt: vlcus, dolor, ictus, & ſimiles, quæ iuxta magnas vel venas, vel arterias, exiſtunt: vt cruris quidem, ſi in inguine: manuum verò, ſi in alis: quemadmodum & capitis, ſi ſecundum aures affectus ſit.

SED & peruigilium ſimplicem febrem ſæpe attulit, quemadmodum & algor, nonnúnquam & ardor.

Vigiles ſenſus nũquam otioſi ſunt, ſed ſemper agunt: eliciuntq́; ſpiritus, qui accẽſi febrem generant: frigus cutim claudit, proinde ſolitum effluuium cohibet: quod ſi calidum acreq́; ſit, febrem gignit: ſin benignũ, plenitudinẽ. Solis ardor tum inſpiratu, tum arteriarum attráctu, tum cutis contactu, ſpiritus accendit. Nam ſi cutis hunc diutius patiatur, inareſcit, contrahitúrq́;, ita vt effluuium ſupprimatur: atque ex accidenti, non aliter quàm frigus, febrem gignat.

OMNES hæ febres ſolui facilimè poſ-

ſunt:ſiquidem ad balneas,aliamque vſitatã viuendi rationem, ægrotum ſtatim ducere oportet. Itaque qui multorum ſermone celebratam illam diatriton, id eſt triduanam inediam, in omnibus iis admittunt, febres reddunt ſæpe acriores:tametſi etiam alioqui delinquunt.quemadmodum ex ipſis videre eſt non paucos, qui quoties ægrotos inuiſunt, ita aberrant, vt certè manu factas ægritudines inducant.

Ephemeræ, id eſt diariæ, facilè inquit, curantur : quandoquidem ſubiecta earum materia promptè ſoluitur: itaq; balneum illis vtiliſsimum eſt, tum quia conſuetum, tum quia morbi reliquijs, & ex morbo relictis affectibus medetur: vt poſtea dicetur. Poſt lauationem, ad aliam conſuetam victus rationem, hoc eſt ſolita negotia, exercitationes, cibum, & potum relegat: nimirùm à febre iam vindicatos. Igitur perperam mirificam illam diatriton, id eſt triduanã inediam, inſtituunt nonnulli, ex qua febres lõgè acriores redduntur: præcipuè in naturis bilioſis, quæ prompte accenduntur. Quòd ſi longior inedia ſit in hecticas; ac tandem in torridum maraſmum fit tranſitus: aut in ſyncopen ſi os ventris facilè iniurijs patet: vt latè docet Galenus libro octauo Methodi medẽdi. Nec in hac ſolùm tranſigenda diatrito, ſed & in alijs quoq; aberrant plurimi medici: adeò vt manu factos morbos

bos

bos inducere videantur,ſcilicet methodi medendi expertes,vt mox dicetur. ὡς καὶ χειροποίητα ὄντως ἐργάσασθαι νοσήματα, *id eſt manu factas ægritudines inducunt:manu factas vocat Galenus,non quæſponte eueniunt,ſed medici opera fiunt.*

HARVM igitur febrium prompta eſt curatio, ſed diligentiam exigit maiorem dignotio: de qua ante nos nullus,quantum res poſcebat,conſcripſit.Itaque mirum non eſt multos tantũ curando hallucinari, quã-tum à cognitione aberrant. Nonnulli enim caſu quodam in graues ſæpe morbos inciderunt: velut temulenti, vel ſole exuſti, vel refrigerati, vel labore fatigati, vel vigilias paſsi, vel furore concitati, aut alia quauis occaſione, quæ ex ſe lædere idonea ſit, affecti: deinde omnia ob cauſam quæ anteceſsit, accidere, neque aliã ſubeſſe affectionem arbitrati, negligentius victus rationem inſtituentes, non intellexerunt ſeſe in incurabilẽ, aut ægrè quidem ſanabilem morbum, ruere. Ob id igitur adhibenda omnino diligentia eſt, quemadmodum Hippocrates admonet, vt non ſolùm futura præſentiamus, ſed & præterita & præſentia cognoſcamus. Etenim quod nunc proponimus, ad eam artis partem attinet: quod & nos, quàm di-

lucidè poterimus explicabimus. Neq; parui refert, an ægrotum iam lauare conſideréque, an ſibi cauere, ac ſe tueri iuſſeris.

Promptè diarias, ſi quidem cognitæ ſint, poſſe curari, iam diximus, atque mox dicemus: verùm haud ita facilè dignoſcuntur. Quùm enim omnes hæ magnam inter ſe cognationem habeant, ſignáq;, quibus depræhenduntur, parum à ſalubribus differãt, nõ facilè eas cognoſcas: aut ſi cognoſcas, nõ facilè diſtinguas an ab hac, an illa cauſa acceſſerint, niſi diligẽter, quæ circa ægrotũ ſunt, tũ præterita, tũ præſentia, tum futura perpenderis. Quo fit, vt multi curando has febres hallucinentur. Si quis igitur ex temulẽtia, vel æſtu, vel perfrictione, vel laſſitudine, vel vigilijs, vel furore, aut alia euidẽti occaſione, febrẽ contraxerit: isq; cruditate, vel vitio humorum laborans, præterea vel obſtructione, velut omniũ curationem ad temulentiam, æſtum, aut alias euidẽtes cauſas referre: nullã aliã cauſam ſubeſſe, hoc eſt neque cruditatem, neque corruptionem humorum, neque cutis aut viſcerum obſtructionem arbitratus, oſcitantiusq; victus rationem inſtituat: in quod putas periculum prolabetur? nempè in grauiſsimum, hoc eſt morbos incurabiles, vel qui facilè curationem non admittant. Rectè igitur monuit Hippocrates diligentiſsimè omnia, quæ circa ægrotum ſunt, præſentia, præterita, & futura diſquirere, vt rectè, quæ agenda

da ſint, inſtitueremus.

ACCEDENTES igitur ad ægrotum, in primis quæ in ipſo ſunt præcipua, deinde verò alia contemplari oportet, ne minimum quiddam, ſi fieri omnino poſsit, omittentes. Siquidem vt indicationi, quæ à maximis ſumitur, magis aut minus credamus, ex aliorum acceſsione efficitur. Maxima vero ſigna in febricitantibus omnibus, ex pulſibus & vrinis petuntur: quibus alia omnia quæ in facie eſſe docet Hippocrates, & quæ ab accubatione, & reſpiratione, quæque ab excrementis tum ſuperiorum tum inferiorum partium ſumuntur: atque etiam, ſi quod appareat accidens in quacũque corporis parte, aut eius actione (qualia ille ſexcenta in ſexcentis locis ſcripſit) addenda ſunt: neque ex his vllum oſcitanter prætereundum eſt. Hæc quidem febrium omnium communia ſunt. Itaque in his etiã ſimpliciſsimis, de quibus præſens eſt diſputatio, nullum horum relinquendum eſt.

Præcipua maximaq; ſigna ſunt, quæ maxime certiſsimeq; morbum exprimunt. Obſcuræ verò minusq; præcipua, ex ſe quidem parum hunc oſtendunt, ſed alijs addita reddunt illuſtriorem: atque ea ipſa alios affectus produnt. vnum enim idemq; ſignum, obſcurum & illuſtre

eſſe poteſt in diuerſis morbis. Siquidem ſputum in pleuritide, affectum luculentiſſimè monſtrat: in febre verò, obſcurè: quemadmodum vrina febris eſt certiſſima nota, pleuritidis verò fallax. igitur febrium (quoniam de his noſtra eſt diſputatio) principes notæ ex earum ſubſtantia, partis quæ præcipuè affligitur actione læſa, & excrementis, ſumuntur: quemadmodum, & à qualitatibus, quæ neceſſariò conſequuntur. Subſtantia eſt in genere caloris, vt acris, mordax, &c. Partes quas febris maximè occupat, ſunt cor, arteriæ, & venæ. Itaq; præcipuè in febribus notæ, ex harum partium actione læſa, & excremētis petuntur: hoc eſt ex pulſibus, & vrinis. Aliæ verò notæ quæ non ſolùm, nec ſemper affectum indicant, tum ex iiſdem ducuntur, nempe actionis noxa, & excrementis: tum ex qualitatibus partium, non primo ac præcipuè affectarum, ſed ſecundò & comitatu quodam. verbi gratia, pulmo incalfacto cordi, & arteriis conſentiens, naturalem ſpirationē mutat, ita vt ſeipſo crebrius ſpiret. Et iecori veniſq; affectis ſtomachus, venter, & aliæ partes conſentiunt: itaque malè ſuo munere fungente iecore, & venis, venter & reliquiæ corporis partes improbè concoquent: vnde fit, vt excrementa quoq; oris, alui, & pulmonis, aliarumq; partium, non aliter atq; vrinæ cruda appareant. Quòd ſi increſcat febris, adeò vt partes modò commemoratæ, hoc eſt cor, & iecur imbecil

ſtcilliores reddantur, cõdoleſcet cerebrum: actio-niſque tum ſuæ, tum partium à ſe prodeuntium notis, non modò affectum, ſed & eius magnitu-dinem fatebitur. Nam lumen refugere, viſa ſi-mulacraq́; apparere, peruigilare, delirare, æ-gre ſpirare, cubare ſupinum, manibus & cruri-bus extentis, delabi ad pedes: hæc inquam o-mnia, & alia id genus, quæ Hippocrates fuſiſ-ſimè tractauit, cerebri & partium ab eo or-tarum primariò actionem læſam eſſe ſignifi-cant: ex accidente verò febrem, eiúſque vehe-mentiam. Sic & comites qualitates ſenſiles affectum produnt: ſenſiles dico, quæ ſenſibus percipiuntur, vt viſu rubor, pallor, nigrities tum linguæ, tum facici, tum cutis vniuerſæ: in quo ge nere continentur & notæ, quas ex facie depræ-hendi docet idem autor in prognoſticis, ad hunc modum, Nares acutæ, oculi cõcaui, collapſa tem-pora. Olfactu, odor anhelitus, ructus, excremen-torum alui, ſudorum, vaporum, vrinæ, ſputi, alio rumq́; corporis recrementorum. Guſtu, nidor, a-cor, ſalſitudo, amaror, & id genus qualitates. Auditu, vox clangoſa, tremula, rauca, aurium tinnitus, inteſtinorum bombi, & alij ſoni. Ta-ctu, caliditas frigiditas, humiditas ſiccitas, duri-ties mollities, tenſio laxitas, aſperitas læuitas lin guæ, & cutis aliarumq́; corporis partium. His adduntur rigor, horror, pruritus, punctiones, & doloris omnes differentiæ. Adduntur & cauſæ

exter

externæ,vt victus ratio,exercitatio tum animi tum corporis,tempus,locus,& præſens aëris conditio,vigiliæ,animi affectus:& corporis ad morbum ſuſcipiendum pronitas,vt ætas, temperatura, habitudo: morbi item paßim graſſantes. Nam ſi hæc diligentius conſyderentur,non modo affectus differentiam,ſed & magnitudinem,luculenter oſtendunt.

PERSPECTIS autem tum ex pulſibus, tum vrinis, febris moribus: pulſibus quidem nullam inflammationis notam, nullamque omnino in vno arteriæ percuſſu inæqualitatem habentibus, aut ſi habeant,prorſus exilem: vrinis verò, vel eas quæ ſecundum naturam habent, omnino imitantibus, vel à naturali ſtatu parum deflectentibus,ad alia, quæ antè commemorauimus omnia,veniendum eſt. Cumque omnia,velut concentu quodam conſonãt, iam fidendum eſt,quærendumq;, ſi lubet, ab ægroto, num qua cauſa euidens præceſſerit. quod ſi fateatur æger, expectata prima febris ſolutione, protinus lauandus eſt: ſcilicet eius ſpecie ex ſolutionis modò certius cognita. Nam tunc arteriarum motus huic omnino, qui in ſanis ſentitur, reſpondet. Cum is in nulla alia febre, ad naturalem ſtatum redeat, etiam ſi temporis ſpatium inter prioris acceſsio-

nis

nis finem, & ſequentis initium, longum ſit, velut in tertianis, & quartanis: in quibus ſemper febris veſtigium relinquitur. In diariis vero ceſſante acceſsione, omnia ſimul ſigna abolentur: harum tamen plurimæ in madores ſoluuntur: nonnullæ in lenes ſudores: aut omnino velut vapor aliquis copioſus ex imocorpore exhalat. Sed & vrinæ eo tempore, longè quàm per initia, meliores tibi apparebunt. Neque verò ſi quis cum febre caput, aut partem aliam dolor occuparit, is amplius manet. Si vero & æger facile morbum ferat, certiſsimum eſt indicium, quod velut impreſſum quoddam ſigillum omnium maximè febris manſuetudinem exprimet. Quòd ſi, dum lauantur, inſolitum frigoris horrorem, aliamque moleſtiam non ſentiant: ac deinde poſt lauationem facile tolerent, ac bene ferant, cibus offerendus, vinúmque potui dandum eſt ſine formidine, quantum res præſens efflagitat.

Inflammationis, vt non vnum eſt tempus, variaq; differentia, ac locus vnus, ſic nec eundem pulſum perpetuo, nec vbiq; ſeruat. Nam ſi illa magna ſit, aut principem corporis partem occupet, pulſum in toto corpore variat: ſin parua, ac in parte non inſigni, in ea ſolum mutat, quam

obſederit. Itaque per initia maiorem, vehementiorem, celeriorem, ac frequentiorem reddit. In incremento præter magnitudinem, vehementiã, celeritatem, & frequentiam inauctas, duriorem ac magis vibratum. In vigore autem omnia hæc manifeſtiora habet, ſed minor in alijs temporibus: non tamen languidior, niſi vires à morbo victæ, imbecilliores reddantur. In declinatione verò graciliorem, & duriorem, præſertim ſi diuturnior ſit, ac in ſcirrhum mutata inflãmatio. Cæterum inflammationum omnium pulſus ſerrans communis eſt. Inæqualitas verò, quam vnus arteriæ occurſus parit, tũ in vna eius parte fit, tum in pluribus: in vna quidem, cum principio celer, in fine tardus, aut contrà, principiò tardus, fine verò celer: vel principio moderatus, fine verò vel celer, vel tardus: idq́; vel cum motus interceptione, vel ſine hac, aut cum recurrit: recurrit autem, cum ſine manifeſta quiete, bis digitum ferit: vnde & dicroti nomen meruit. Cum enim mouendi inſtrumentum impeditum non eſt, & vrgenti neceſsitati facultas obſequitur, magnum neceſſariò pulſum edit ſine vlla inæqualitate: ſin impeditum eſt, neceſſariò hæc ſequitur. Per febres autem putridas vrget neceſſitas, & quantum poteſt, obedit facultas: impeditur verò inſtrumentum, vel obſtructione, quæ vias traſpirationi præcludit, vel humorum abundantia, quæ facultatem degrauat: vnde ipſa

neceſſ

neceſsitati impar redditur, proindeq́; aut quiete motus intercipitur, aut continuus quidem manet, ſed non paris celeritatis pro magnitudine cauſarum motum impedientium. Quòd ſi durū inſtrumentum ſit, validamq́; facultatem neceſſitas vrgeat, recurret pulſus. Itaque in diarijs, cum neq; humorum ſit abundantia, neq; obſtructio, ſaltem tanta, quæ motum remoretur: neque tanta arteriæ durities, quam valida virtus efflagitante vſu non niſi magna vi diſtendat, nullam talem inuenies inæqualitatem. In diuerſis verò arteriæ partibus, inæqualitas vel continua eſt, cum continenter in arteriæ partibus duabus, vel pluribus fit mutatio, à celeritate in tarditatem vel mediocritatem, vel cōtrà: aut interrupta eſt, vt cum primus & tertius & quartus digitus, aut primus, ſecundus & quartus, aut primus & quartus pulſum ſentiunt, reliqui nō ſentiunt. Atq; hæc inæqualitatis differentia nō neceſſaria febrem conſequitur. Vrinæ ſecundum naturam, colore quidem ſubrufæ, & ſubſtantia mediocres: in quibus quod reſidet, candidum, leue, ac æquale eſt. Alia autem ſigna, quibus febris mores deprehenduntur, ex facie, accubatione, reſpiratione, & alijs quæ modo expoſuimus, ducuntur. Cum igitur pulſus nullam inæqualitatis aut inflammationis notam habet, vrinæq́; ijs quæ ſecundum naturam habent ſimilimæ, vel ab his parum deflectunt, aliaq́; ſigna, quæ

prius

prius retulimus conſentiunt, ita vt omnia concentu quodam conſonent, & ad hanc febrem exprimendam conſpirent, præceſſeritq; aliqua euidens occaſio, velut iracundia, furor, aut id genus alia, certum eſt eam diariam, non putridam febrem eſſe. Proinde eſt primam acceßionis ſolutionem, ægrotum lauandum eſſe. Primam diariæ acceßionem dixit, non quòd altera futura ſit, ſed quadam loquẽdi proprietate, veluti cum dicimus, mulierem primo partu interijſſe, cum non ſit rurſus paritura. Finita igitur prima acceßione ſtatim lauandum præcipit, magna ex parte propter conſuetudinem, Nam paulo antè dixit, Omnes hę febres facilimè curari poſſunt: ſiquidem ad balneas, aliamq; victus rationem perducere oportet. quod perinde eſt ac ſi diceret, iam omnino ſani ſunt, proinde ac conſuetam victus rationem relegandi: in qua lauationem contineri conſtat. Prodeſt verò & balneum, quia febris materiam, ſi qua ſupereſt, diſcutit: corpus humectat, & refrigerat. Solutionis modus febris ſpeciem declarat: ſi quidem hac ſoluta pulſus ſanorum pulſui ſimilis omnino remaneat, omniaq; alia ſecundũ naturam habeant, ac ſymptomata ſi qua ſint, vnà cum febre euaneſcant, ſoluaturq; hæc in halitum, qui ſeuſum effugiat, aut copioſos vapores, vel madores, vel ſudores ſuaues, certißimum eſt diariæ acceßionem fuiſſe. nam & pulſus naturalis, & vaporis, mado-

ris, ac ſudoris ſuauitas, omnem abeſſe putredinem dilucidè teſtantur: vt quæ à materia proba ortum habeat: quæ ſi pauca ſit ac tenuis, & ad cutim ſubiectamq; carnem paulatim feratur, & calor febrilis nondum in totum ſit remiſſus, inſenſibiliter exhalat. Sin copioſior & craſſior materia ſit, & violenter acta, calorq; remiſſior, in ſpeciem vaporis, madoris aut ſudoris, pro modò antè dictarum cauſarum magis minúsve auctarum erumpit. Contrà pulſus præter naturam, & excrementorum acrimonia, putrem ad eſſe febrem fatentur: in qua neq; ſudor, neq; vapor, neq; mador ſuauitatem vllam habet, ſed tetrum odorem, & ſaporem, mordaxq; calor eſt. Cæterùm nec pulſus in earũ intermiſſione, quãtumuis longa ſit, vt in quartanis & tertianis, ad naturalem ſtatum redit, propter febris reliquias: fieri enim non poteſt, vt iuſtè effluuium àcre expiret, febre ab obſtructione magna ortum habente. In diaria autem, omnia quæ præter naturam ſunt in declinatione abolentur: tum propter materiam facilè expirabilem, tum quia nihil eius obſtructio remoratur: aut ſi quid eſt, id admodùm exiguum eſt: & quod à medico in prima acceſſione deleri poſſit. Vrinæ quoque eo tẽpore meliores, quàm per initia, apparent: quia natura ſibi reſtituta in febris declinatione melius, quàm per initia ſuo munere fungitur. Ad hæc ſi æger facilè malum hoc ferat, certiſſimè,

maximeq; febris manſuetudo declaratur: facilè enim fertur morbus, qui malis careat accidentibus: qualia ſunt capitis & ſtomachi, & aliarum partium, vehemens dolor, cibi faſtidium, inquietudo, ſitis inexplebilis, & alia id genus ſymptomata: quibus magis ipſi ægroti minúſve cruciantur, pro humorum, & vaporum putredine, & acrimonia: ex qua illa omnia ortum habent. Diariæ autem (quoniam neq; calor acris, neq; mordax vapor, vel ſuccus infeſtat) nulla aut blanda accidentia inuehunt: proinde facilè feruntur. Quòd ſi dum lauantur, inſolitũ frigoris horrorẽ, aliamq; moleſtiam non ſentiunt: ſed poſt lauationem deinceps ſtatim facile tolerant, beneq; ferunt cibus offerendus, vinumq; intrepide potui dandum eſt, quantum ſtatus præſens efflagitat. Inſolitum dixit, quia in tertia balnei parte, frigida conſperſi inhorreſcunt. Itaq; ſi in alijs balnei partibus frigus, horror, vel rigor, vel alia moleſtia ſentiatur, vt ſenſus inæqualitas, certum eſt acrem, aut putrem humorem, vel vaporem in corpore eſſe. liquatus enim à balneo humor, delatusq; per membra ſentientia frigus, horrorem vel rigorem, pro acrimoniæ vehementia, & delationis celeritate, incutit: ſenſus verò inæqualitatem vapor ſubcalidus, vel erodens: quem balnei calor ſuſcitauit. In diaria verò, vtpote eiuſmodi acrimoniæ experte, corpus neque friget, neque riget, neque horret. Si igitur,

dum

dum lauantur neq; frigus, neq; horror, neque rigor, neque vlla alia moleſtia infeſtet, perſeueretq; corpus facilè affectum ferre: cibum offerre, vinumq; potui dare licebit, pro rei præſentis neceſſitate, ſcilicet priſtinæ ſanitati iam reſtituto. Nam alij cibum deſiderant liberaliorem, velut qui ex inedia & nimio labore febricitant: alij parciorem, velut qui ex cutis denſitate: vt mox docebitur.

NOS verò, vt noſti, ab ægroto ſciſcitari non ſuſtinentes: cauſam quæ præceſſerit, dicere ſolemus: quod maximum eſt argumentum, eum non errare, qui talem ſit adeptus facultatem.

Cauſam quæ ephemeram, id eſt diariam præceſſit, tum ægrotus indicare, tum notis quibuſdam depræhendere poſſumus: quam qui inuenire, citra laborantis operam norit, hunc in febris curatione minimè hallucinari veriſimile eſt: quando vti prius dictum eſt, facilis eſt eius curatio, difficilis verò cognitio, ſed quæ tamen vſu, et diligentia haberi poſſit. In quodam exemplari manu ſcripto εἰώμεθα *legitur pro* πυρώμεθα, *quod & nos ſecuti ſumus.*

SI verò manentibus adhuc animi motibus, ægrotum contempleris, maximè ex pulſibus, vt in libris de pulſibus declaratum eſt, deinde ex aliis dignotio petenda eſt. Quòd ſi hi ſedati fuerint, affectum ve-

rò reliquerint, ex pulſibus quidem perturbationum quæ febrem attulerunt, indicium obſcurum habebis: ſed reliqua ſine pulſibus tibi ſufficient. in omnibus enim, vt plurimum, vrinæ rufæ apparent. His verò, qui ex mœrore laborant, acrimonia potius, quàm caloris abundantia ineſt: quemadmodum contrà iis qui ex furore. Sed & corporis macies in his quos mœror, quàm quos cura confecit, manifeſtior conſpicitur: oculorumque cauitas & inſueta quædam decoloratio: quę quidem & aliorum, qui quomodocunq; cogitationem exercuerint, cōmunia ſunt. Verùm ex oculis maximè diſcernere licet, ex quibus & in ſanis quoque animi mores coniicere poſsis. At in ægrotis perſpicua magis tibi ſigna erunt, ſi accuratè conſpicere queas. Sic illi quidem ab affectis mœrore diſtinguendi ſunt, qui in diſciplinis, & ſpeculationibus mentem exercuerunt.

Animi motus ſunt iracundia, furor ſiue excandeſcentia, triſtitia, timor, & id genus alij, qui febrem, vt diximus, inferre ſolent. Quales autem in his ſint arteriarum pulſus, quàm breuiter poterimus, ex libris de pulſibus Galeni docebimus. Iracundiæ (inquit) pulſus eſt altus, magnus, vehemens, celer, creber. Triſtitiæ, paruus,

lang

languidus, tardus, rarus. Timoris recentis quidem, celer, vibratus, & inordinatus, inæqualisq́;. Inueteratus verò ſimilem habet triſtitiæ. Quod ſic oſtendimus: Pulſum efficiunt facultas, vſus, & inſtrumentum. vrgente enim neceſsitate, obſequente verò facultate, & inſtrumento non reluctante, arteriam in omnem dimenſionem tantum diſtendi, quantum vſus efflagitat & facultas poteſt, neceſſe eſt: proindeq́; vrgente calore, magnum pulſum fieri, ſi tamen diſtentionem ſpatium quod arteriam capit, vtpote anguſtius, quàm pro dilatationis neceſsitate, non impedit. Eadẽ ratione & celerem, ac frequentẽ. Quòd ſi iuſtã, ac neceſsitati facultatiq́; debitam, ſpatij anguſtia nõ admittit, altitudine cõpẽſabitur, modò ictui cutis cedat. Contrà languente facultate, vſuq́; non admodum interpellante, minimeq́; inſtrumento renitente, paruus erit pulſus, lãguidus, & rarus, ſine inæqualitate. Si verò neceſsitati impar ſit facultas, aut inſtrumentum contumax, hoc eſt durum, compreſſum, tenſum, obſtructum, vel humorum copia degrauatum, aut vtrunq́; celer & inæqualis, atq; etiam, ſi auctæ ſint cauſæ, vibratus fit. Igitur cum per iracundiam, & furorem, illatæ iniuriæ ſpecies obijciuntur, ſpiritus intrò tanquam ad arcem tutiſsimam confugiunt, in qua ab eminente iniuria ſe tueri videantur. Poſtmodùm ira ad vindictã nos impellente, ſpiritus magna vi reſum-

ptis viribus foras reſiliunt. Itaq; manente ſpiritus & ſanguinis in corde feruore, aßiduè calidos vapores ſuſcitante, qui in corpus diffunduntur, fit vt magna caloris abundantia totum corpus occupet, vnà cum pulſus magnitudine, tanta quidem, vt eam ambiens arteriam locus excipere non valeat: proinde altitudine compenſatur, frequẽtia, ac celeritate. In triſtitia verò ſpiritus quidem intrò feruntur, ſed non affatim, ibiq; coarctantur, ac velut ſuffocantur: nec rurſus vt in iracundia, foras ſpargũtur: ſed ſeſe accendunt, ac conſumunt: vnde temporis progreſſu humiditas abſumitur, & virtus conſopitur, obruitur, deſesq; redditur: eam ob rem pulſus fiunt parui, languidi, rari: quia neq; neceßitas vrget, neq; valida facultas eſt. In timore autem recenti, celeriter intrò velut ad ſuam ſcatebram, mouentur ſanguis & ſpiritus, mens quoq; conturbatur. Natura enim cõmota, atq; vt ſibi prouideat ſolicita, modò huc, modò illuc impellit ſpiritus: qui motu accendũtur: vnde fiunt pulſus celeres, ſcilicet vrgente neceßitate. Mens vero concitata, inæquales ac vibratos reddit. In inueterato verò dißipatis ſpiritibus, virtutéq; elangueſcente, pulſus quales in triſtitia eſſe docuimus, redduntur. Sunt & alia ſigna, quibus hæc deprehendi poßint: de quibus mox diſſeretur. Quòd ſi animi motus ſint compoſiti, cæterum affectum aliquem in corpore reliquerint, aliјs ſignis

gnis ſunt dignoſcendi: quando ſic pulſus obſcurè illos prodere poteſt, non enim manent cauſæ pulſus variantes. Alijs ergo notis diſtinguere oportet, quæ relictum affectum ſequantur: ſumuntur autem hæ ex vrinis, caloris differentia, oculorum & corporis habitudine. Siquidem omnibus id genus febribus, vt plurimum vrinæ flauæ ſunt, ob bilis admixtionem, quam animi perturbationes pepererunt. ſanguis enim feruore bilioſior redditur: verùm acrior in febre ex mœrore, copioſior & ſuauior ex ira & furore calor eſt. Mœror enim humorem corporis abſumendo, vt dictum eſt, corpus reddit aridius, proinde calorem acriorem, & parciorem ob materiæ quæ hūc defert penuriam: furor verò, copioſum vaporē ex ſanguinis feruore excitatū (qui vehiculū eſt caloris) ad cutem trāſmittit: vnde calor & vberior, & blandior ſentitur. Sed & corporis macies in his quos mœror quàm cura conficit manifeſtior apparet. Græce ita habetur, ἀλλὰ ϗ ἰσχνότης τοῦ σώματος ἐπιδηλοτέρα τοῖς λυπηθεῖσιν ἢ φροντίσασι. ἢ, Leonicenus, &, vertit: nos verò, quàm: vt ſit ſenſus: quib⁹ mœſtitia febrē attulit, magis emaciantū quàm quibus cura ac cogitatio: quod & ſequens dictio ſubindicat ad hūc modū: Sic quidē ab affectis mœrore diſtinguendi ſunt, qui in diſciplinis & ſpeculationibus mētem exercuerūt. ex quibus verbis palā eſt diſcrimen eſſe inter mœſtitiæ & curæ notas. Siquidem ex mœrore naſcitur ma-

cies luculentior : ex cura, obſcurior. Quoniam in mœrore intrò ad caloris natiui originem reuocantur ſpiritus: vbi facile ob loci caliditatem accenduntur ac digeruntur, humorq; in vapores diſsipatur : vnde corpus temporis ſpatio exiccatur, emaciatúrq; tantùm quidem, quãtus eſt affectus. In curis vero ac cogitationibus, ad caput feruntur: in quo minus ob caloris penuriã, quàm in interno corpore abſumuntur : minus enim ob loci frigiditatem inflammantur, & reſoluuntur : proinde corporis habitum minus exiccant, ac extenuant. hinc fit, vt oculorum quoq; cauitas vtriq; affectui ſit communis : ſed in curis & cogitationibus, minor, quia ſpiritus & humores minus, vt oſtendimus, abſumuntur: in mœrore verò maior, ob loci caliditatem ſpiritum & humores reſoluentem. Inſueta quoq; decoloratio quædam hos affectus ſequitur, ſcilicet cute ipſa natiuo calore deſtituta. Quemadmodum enim ſolis ſplendor, quas contingit res, reddit illuſtriores: ita natiuus calor colorationem reddit cutem: quo abſente velut demortua apparet: vt in timore, & longis ægritudinibus. Ex oculis porrò animi mores, non ſolùm in ægrotis, ſed & in ſanis deprædendi poſſunt: verùm in his obſcurè, in illis perſpicuè magis. ſiquidem in ægrotis ex animi motu inſignis affectus remanet: in ſanis verò obſcurus, niſi frequenter admodum mens concitetur. Nam ſic affectus cum in alijs capitis partibus,

bus, tum maxime in oculis perſpicuus relinquitur. Oculi enim non ſolùm cerebro conſentiunt, ſed & alijs duobus principijs: nempe iecori, & cordi per neruos, venas, & arterias. hæc enim tria, animæ operum ſunt principia. Iecur quidem concupiſcentiæ, hoc eſt veneris, eſculentorum, & poculentorum deſiderij: Cor animoſæ facultatis, vt iræ, furoris, timoris, triſtitiæ, victoriæ, imperij, honoris, gloriæ, & ſimilium: Cerebrum verò apprahendendi, intelligendi, & memorandi vi donatum eſt: veritatis, ſcientiæ diſciplinarum, prudentiæ, aliarumq; honeſtarum rerum appetentiæ. Cæterum animoſæ facultatis motus fiunt, obiectis rationali potentiæ (quæ in cerebro ſedem obtinet) iræ, triſtitiæ, furoris, & aliorũ animi affectuum formis: quæ tantùm hanc permouent, quàm magnas grauesq; eſſe duxerit. Has emotiones indicia quædam cum in corpore vniuerſo, tum maximè in facie produnt, alia alias. Læti, verbi gratia, frontem, oculos, totamq; faciem exporrigunt: ſcilicet effuſis in eas partes ſpiritibus, eiusq; cutem tendẽtibus. Mœſti eaſdem partes in rugas contrahunt, demittuntq;: quaſi intrò recurrentes ſpiritus ſequantur. Excandeſcẽtibus verò tota facies calet, & rubet: oculiq; prominent, ac ſcintillant: ſpiritus enim & ſanguinis feruor in corde calidos vapores ſuſcitant: qui in corpus vniuerſum, maximè autẽ in oculos feruntur: cum inſtrumenta ſint, quibus hoſtem per

ſequimur. Ex crebris hiſce emotionibus ſimiles animus mores, horumq́; notas frons, & facies contrahunt: præcipuè verò oculi, quòd hi tum v-berrimum recipiunt ſpiritum, vt quem in videndi functiones abſumant, tum duobus principijs, nempe cerebro obiectam emotionis ſpeciem apprehendenti, & cordi emotionem excitanti conſentiunt. Nerui enim per quos fit viſio, ſpiritus capaciſsimi ſunt: & ad ipſos oculos peruenit non exigua arteriarum portio: per quas in animi motibus feratur ſpiritus. Adde quòd in oculis ob candorē ſplendoremq́;, notæ conſpectiores redduntur. Itaq; frons rugoſa, triſtitiæ ac ſeueritatis nota eſt: contrà hilaritatis, manſuetudinis, & clementiæ exporrecta. Iracundiam verò oculorum igneus calor, ac ſcintillans ſplendor fatētur. Harum quoq; affectionum notæ natiuas temperaturas ſequuntur: vt ſi, verbi gratia, oculi tactu calidi ſentiantur, minimeq́; excrementoſi, perſpicuè cernant, lataſq́; venas habeant, eaſdemq́; rubras, principia calida ſiccáq; eſſe teſtantur: proinde qui tali temperamento eas partes præditas habent, facilè diſcunt, magna arduaq́; appetunt, audaces ſunt, animoſi, iracundi, furibundi, implacabiles, præcipites.

EOS verò, qui ex peruigilijs febricitant, tum decolorationis differentia ab alijs diſcriminat (ipſis enim ſubtumida facies eſt) tum manifeſtus oculorum motus.

tus. Vix enim palpebras attollũt:hisq́ue ineſt humiditas: nam mœrore & cura affectis, inareſcunt. Cæterùm cauitas commune omnium accidẽs eſt, nempe triſtitiæ, vigiliarum, & cogitationis, & ſtudij, non tamen furoris, in quo nec oculorum cauitas, nec decoloratio manifeſta conſpicitur. Calor quoque vberior eſt, ex altoq́ue corpore celeriter erumpit: nec pulſus magnitudo perit: quemadmodum in vigilijs, mœſtitia, & cogitationibus. A furore itaque euidentiſsimè hæc diſtinguuntur: illa verò inter ſe, quemadmodum antè diximus.

Decoloratio vigiliarum comes eſt, & faciei tumor, grauisq; oculorum motus: & palpebrarum humiditas. Vigiliæ enim, cum concoctionem impediant, humorum & vaporum crudorum copiam pariunt: calorem natiuum imminuunt, corpusq; reſoluunt: vnde ſequitur decoloratio, faciei tumor, palpebrarum humiditas, earumq; mouendarum difficultas. Per vigilias enim cerebrum ſenſusq; inſtrumenta aſsiduè exercentur: vnde plus facultatis, & ſpiritus animalis abſumunt: quibus tandem reſolutis, & in actiones obeundas inſumptis, vitales ſpiritus, antequàm integram elaborationem ſint experti, aſſiduè alliciunt. In ſumma, naturam à coquendi munere auocant: quocirca magnam cum in reli-

quo

quo corpore, tum in cerebro cruditatem relinquunt. cæterùm fatigatis animalis virtutis inſtrumentis, caput imbecillius redditur: vnde commemorata incommoda ſequuntur: nempe cruditas, & caloris naturalis imminutio: ex quibus rurſus ſequuntur decoloratio, tumor faciei, palpebrarum humiditas, earumq́; motus grauitas: ſcilicet reſoluta facultate, & vaporis humorisq́; copia degrauante. In mœrore & ſollicitudine, inareſcunt oculi. Nam mœror reuocatos intrò ſpiritus abſumit, atq; proceſſu temporis humorem depaſcitur: vt iam monſtratum eſt: vnde non ſolùm caput & oculi reſiccantur, ſed & vniuerſa corporis habitudo. Curæ verò cerebrum exercent, ac modo antè declarato exiccant, non continuò tamen decolorem ac tumidam faciem reddunt, reliquaq́; vigiliarum accidentia inducunt: quando præcipua horum cauſa ad cruditatẽ referenda eſt, ad vigilias verò cruditas. Quòd autem ex mœſtitia & curis crudum relinquitur (nam & cruditatem hæ pariunt) ſomnus cõcoquit: alioqui enim qualia vigiliæ accidẽtia inferrent. Cauitas oculorum, commune accidens eſt mœroris, cogitationis, & vigiliarum: quoniã hæc oculorum ſubſtantiam reſoluunt, vt oſtenſum eſt. Hanc verò cauitatem per vigilias, tumor partium oculos ambientium manifeſtiorem reddit. Sed in furore, neque oculorum cauitas adeſt, neq; faciei decoloratio: ſed magis oculi

pro

prominere videntur, ſcilicet delatis illuc ſpiritibus ipſos diſtendentibus. Nam cùm oculi inſtrumenta ſint, quibus perſequi hoſtem velimus, vt modò dicebamus, ad eos ſpiritus feruntur: vnde diſtenti minus conſidunt oculi, ſed potius prominent. Hac ratione facies non decoloratur, ſed rubet: vt in quam ſpiritus, & humor confluat: cum quibus & calor è corpore foras emergens non ſolùm illuc, ſed ad totam corporis cutem fertur: vnde pulſus magnitudo perſeuerat. In vigilijs verò, mœſtitia, & cogitatione deperit elanguescente virtute, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν κίνησις δήλη. *Leonicenus oculorum motus ligati uertit: quem ſequuti fuiſſemus, niſi Galenus lib. xx. de Criſibus, diariæ ex vigilijs notas exprimens, eadem verba referret, ſed multitudinis numero, ad hunc modum.* καὶ αἱ τῶν ὀφθαλμῶν κινήσεις δῆλαι. *Cùm enim paulo antè cura affectos à mœſtis decoloratio diſtinxerit, nunc eadem nota eos qui ex vigilijs febrem contraxerunt, à mœrore confectis ſeparat: oculorum item motu, ac humiditate. Nam qui peruigilarunt, tumentem ac decolorem faciem habent: mœſti verò cum decoloratione maciem. Præterea & manifeſto oculorum motu diſtinguitur. in illis enim humiditate degrauatæ palpebræ vix attolluntur: in his verò, cùm humidæ non ſint, haud ægrè mouentur.*

QVIBVS autem laſsitudo febrem intulit

tulit, aridior, quàm in alia quacunque diaria, cutis redditur. Quod omnium quidem ex laſsitudine febricitantium ad acceſsionis vſq; vigorem, eſt commune: à quo tempore plurimis qui quidem immoderatè non laborarint, humor aut vapor calidus ex intimo corpore erumpit. Quibuſdam verò poſt vigorẽ, ſiccitas perſeuerat: præcipueq; labore vexatis ſupra modum, aut refrigeratis, aut exuſtis, vnà cum defatigatione. Nec etiam modo eodem habent pulſus in vtriſque. Siquidem immodicè fatigati paruos, alij verò magnos obtinent.

Diximus febrem ex laßitudine fieri, calfactis vehementi exercitatione muſculis, neruis, copulis, & articulis: deinde diſtributo cordi calore. Quòd autem ſicciorem immodica exercitatio cutim reddat, hoc ideo fit, quòd ea corpus exiccat, eiuſq; humiditatem exhaurit, eò quidem magis, quò immoderatior extiterit. proinde mediocriter fatigatis, ſolùm ad acceßionis vſque vigorem ſiccitas durat: ſed ſtatim ab hoc tempore humor, aut vapor calidus, ex alto corpore ad cutem erumpit. Idq; omnibus accidit, niſi qui, vt antè eſt dictum, immodicè laborarint. vehementius enim exercitatis, etiam poſt febris vigorem perſeuerat ſiccitas: nimirùm reſoluto vapore, & humore, tum motus vehementia, tum corporis

habitu

habitu calidiore, horum reliquias in halitum ſoluente: quod modice exercitatis non contingit. Cæterùm, ſi cum labore ſolem, aut frigus ſunt experti, cutis quoque arida per totam acceſsionem manet. Nam his frigus ſudorem prohibet, illis calor, tum ex ſole, tum immodico labore contactus, ſudoris materiam diſsipat. Eadem ratione, & qui magnis obſtructionibus laborant, minus in febrium declinationibus ſudant. Pulſus quoq; in his diſsimiles ſunt. Supra modum enim exercitati paruos habent ob virium imbecillitatem: & ob vrgentem neceſsitatem celeres: qui autem modicos labores ſubierunt, & quibus nondum vires collapſæ ſunt, efflagitante ſcilicet vſu, magnos obtinent.

FEBRES verò, quæ ex cutis denſitate naſcuntur (hæc autem denſatur, aut frigore, aut qualitate affatim ſtringente: velut in eo, qui ſe aluminoſa lauerit aqua) omnium ſolæ aſtricta ſunt affectio. Has verò tactu deprehendere licet: quemadmodum & ſqualidas, & quæ ex laſsitudine, & ſolis ardore, contrahuntur. Neq; enim earum denſitas, exercitatum tactum fallere poteſt. Cæterùm caloris motus expromitur: quem quidem primo occurſu mitem, deinde acriorem, ſi diutius tangendo immoretur: manus ſentiet, vrinæ tamen rufæ non apparent: neque corporis moles con-

cidit:

cidit: proinde neque oculi caui ſunt, neque aridi: verùm in quibuſdam humidiores, ac prominentiores, quàm pro naturali conſtitutione, viſuntur. Sed nec pulſus, vt in mœrore, cura, vigiliis, aut immodicis exercitationibus, minores ſunt.

Cutis denſitas eſt, quæ per totum meatus exiguos obtinet. denſitas autem aut frigore fit, aut qualitate affatim aſtringente: qualis in aluminoſa aqua eſt. Vbi aũt affatim dixi, vertit Leo*nicenus, præter conſuetudinem. Nam legiſſe videtur.* ἡ ποιότητος στρυφνῆς ἀήθους, *quo modo & in quodam exemplari Græco manu ſcripto comperimus: in Aldino vero habetur,* ἡ ποιότητος στρυφνῆς ἀθρόως, *quod nos ſecuti ſumus. Ex hac denſitate enatæ febres omniũ ſolæ aſtrictæ affectionis nomen merentur: etſi denſari alijs modis cutis poteſt, nempe duris frictionibus, & laboribus vehementibus, calore ſolis, & aliarum rerum:* propoſiti *enim duo modi proprie aſtringunt: alij vero potius ſiccant, durant & contrahunt, corij modo igni admoti. Has autem febres tactu diſcernere licet: in his enim cutis durior, ac compactior ſentitur. Nam, quod ſtrictum eſt, durum ac compactum apparet: quod verò laxũ, molle. Et calor primo quidem contactu ſuauis, deinde ſi diutius admotam manum contineas, acer apparebit. Nam per aſtrictæ cutis exiguos*

meatus

meatus halitus paucus exhalat, qui foras calorem ferat, proinde mitis ſentitur: ſpatio autem temporis impoſitam manum magis ac magis calfacit, ita vt tandem hanc mordeat ſenſim auctus in manu calor. Rufæ tamen vrinæ non apparent, id eſt ὀυ μὴν ὀυδὲ τὰ οὖρα πυῤῥά. Quid autem πυῤῥὸν, id eſt rufum vocet, in primo ipſe de Criſibus docet ad hunc modum, ἐγγυτάτω τὴν φύσιν ἐστὶν τὸ πυῤῥὸν χρῶμα τῷ ξανθῷ· διαφέρει δὲ ἀλλήλων τῷ, τὸ μὲν λευκότερον εἶναι, τὸ δὲ στιλπνότερον. καὶ γὰρ οὖν καὶ ἡ πικρὰ χολὴ ποτὲ μὲν πυῤῥὰ φαίνεται μᾶλλον, ποτὲ δὲ ξανθὴ, πολλάκις δ' ἄν σοι καὶ ὠχρὰ δόξειεν εἶναι, λευκοτέρα μὲν καὶ θολωδεστέρα γινομένη πυῤῥὰ, στίλβουσα δὲ καὶ καθαρωτέρα ξανθή. τὸ γὰρ οἷον πυρῶδες ἐλλάμπον αὐτῇ ξανθότερον ἀπεργάζεται. ὅσον δ' ἐστὶ τὸ πυῤῥὸν τοῦ ξανθοῦ λευκότερον, τοσοῦτον ἐκείνου τὸ ὠχρόν. ὅσον δ' αὖ πάλιν ἧττον λευκόν ἐστι τὸ ξανθὸν τοῦ πυῤῥοῦ, τοσοῦτον τοῦ ξανθοῦ τὸ ἐρυθρόν. ὅθεν καὶ ἡ τοῦ αἵματος χρόα ποτὲ μὲν ξανθοτέρα, ποτὲ δὲ ἐρυθροτέρα φαίνεται. διὸ καὶ τοῦτο ποτὲ μὲν ἐρυθρὸν ὀνομάζουσι, ποτὲ δὲ ξανθόν. Ex quibus verbis cõſtat, rufum colorem albiorẽ eſſe ac turbulẽtiorem, flauum verò puriorem ac ſplendidiorẽ, & in quo tanquam igneum quiddam reſplendeat, & pallidum rufo albiorem: quo rurſus liquet rufum medium eſſe inter flauum & pallidum: flauum verò inter rubrum & rufum: ſed propter rerum cognationem nomina confunduntur: ita

vt rufum pro flauo, & flauum pro rufo ſæpe vſurpetur. Naturalis itaq; vrina ſubrufa, ſubflauaq; eſt: vtpote quæ ex concocto humore fiat, qui bilis momentum acceperit. Itaque vbi copioſior aut ſyncerior admiſta fuerit, rufior vel flauior vrina, pro bilis modo ac qualitate, redditur. Cũ igitur in febre ex cutis denſitate, ſanguis non ferueat, neq; gignatur bilis, quæ vrinã colorationem reddat, quemadmodum in febribus ex animi affectibus, vti prius monſtratũ eſt, vrina neque flauior, neque rufior multo apparebit, quàm in ſanitate: ſanis enim alijs magis, alijs minus rufæ apparẽt. Siquidẽ bilioſi natura, aut ij quibus bilioſa recrementa malè repurgantur, rufas emittunt: alij minus rufas. Neq; corporis moles concidit: propterea quòd cutis denſitas, vaporis ac humoris reſolutionem impedit: vnde fit vt oculi neq; caui ſint, neq; aridi, ſed potius humidiores ac prominentiores quàm pro naturali habitudine. Sed nec pulſus minores, non paruos ſimpliciter, ſed minores dicit: vt ſit ſenſus pulſus in febribus ex cutis dẽſitate nõ ſunt minores quàm in ſanitate: verùm niſi obruta facultas ſit, maiores: ſcilicet vſu id efflagitante. Siquidem febrilis calor arteriam diſtendi, excrementum fuliginoſum aſtrictione ſuppreſſum cõtrahi cogit: diſtentione enim aër externus intrò attrahitur, cõſtrictione verò fuliginoſum excremẽtũ foras expellitur: hiſq; modis febris refrigeratur. In mœrore autem

tem,cura,vigilijs,ac immodicis exercitationibus, minores ſunt pulſus, vt prius demonſtrauimus.

IN diariis verò,quæ ex bubone contrahuntur,pulſus ſunt maximi,celeres, ac crebri,calorq́; multus, & à vigore ſtatim humor quidam ex alto corpore ad cutem fertur calidus,ſed tamen ſuauis. Eiuſmodi enim febres omnium minime acres,mordacesque ſunt:in his facies omnino rubicunda,ac tumidiuſcula, ſubalbidæq́; vrinæ apparent. Communis autem omnibus his eſt pulſus æqualitas. In harum enim paucis admodum inæqualitas in vno arteriæ percuſſu conſpicitur:ſed nec ipſa quidē omnino euidens,neque manifeſta. Hactenus de diariarum notis.

Bubones vocant,inquit Galenus, glandulas quæ in inguinibus,alis,collo, & ſecus aures intumeſcunt: quæ ſi in ſcirrhum aliquando duruerint,ſtrumæ dicuntur. Fiunt autem bubones, vt iā diximus,vel ab euidēte cauſa,velut vlceribus quæ in pede,manu,digitis,alia vicina parte, prope aliquam magnam vel venam, vel arteriam naſcuntur:item ab ictu,caſu,& ſimilibus: vel à cauſa cæca: quales ſunt viſcerum inflammationes,abſceſſus, humoris vel plenitudo vel malignitas:ſæpe etiam ex peſtilente materia: atq; hi bubones periculoſos morbos nuntiant. Qui igitur ex manifeſta cauſa ortum habent, diarias

gignunt omni periculo vacantes: quas comitantur pulſus magnitudo, celeritas, ac frequentia, caloris tum abundantia, tum ſuauitas. ſudor mitis, faciei rubor ac tumor, albicantes vrinæ, & pulſus æqualitas. Pulſus, inquit, maximi ſunt, quia vrget neceßitas, id eſt febrilis calor, neceßitatiq; morem gerit facultas. Hac ratione celeres ſunt, & frequentes ob ſolam neceßitatem. Quòd autem inæquales non ſint, ne in vno quidem arteriæ motu: ideo fit, quòd mouendi inſtrumentum impeditum non eſt, neq; obſtructione, neque humorum vel vaporum acrium abundantia, neque compreſſu, niſi ſit admodum ingens inflammatio. Quòd ſi inæqualitas in vno arteriæ occurſu ſit, ea adeò obſcura eſt, vt vix tactu percipi poßit. Caloris abundantiæ, ac ſuauitatis cauſæ, prius cùm de febre ex iracundia diſputaremus, proditæ ſunt. Sudor blandus à materia benigna fit. Nihil enim acrimoniæ habent eiuſmodi febres, cùm ſolus bubonis calor, non etiam fumus putris ad cor permeet. Caloris porrò abundantiã ſequitur faciei tum rubor, tũ tumor. Et vrinæ albicant, quia materia quæ vrinas coloratiores reddere debebat, ad bubonem tranſlata eſt: & quia caloris ſuauitas ſanguinẽ vltra modum non calefecit, vnde nec bilem, quæ vrinæ calorem addit, generauit.

OMNES quidem balneo curandæ ſunt. Quòd ſi ex cutis denſitate, aut bubonib

nibus febricitantes in balnei aëre immorari iuſſeris, haudquaquam lædes. Reliqui verò omnes ab aëre abducendi quàm citiſſimè ſunt. At in aqua diutiſsimè verſari, ſi velint, permittendum. Cæterùm amplius fricandi cum oleo ſunt tepente, ac largo, mollibus manibus, maximeq; qui ex fatigatione: poſt hos qui ex aſtricta cute, deinde verò qui ex bubone febricitant. Hi autem quàm fieri poſsit creberrimè lauandi ſunt, cibandi verò ſæpe qui ex laſsitudine laborant: ſed non qui ex cutis aſtrictione, aut bubone: horum autem vtrique tenuem efflagitant victum. Fatigatis verò ea comeſſe, quæ probè cõficiant, imperare oportet, euitata ſola cruditate. Quinetiam vini tantùm bibere, quantùm concoquere poſsint. Horum autem modum, vti & aliorum omnium: ex viribus, ætate, natura, temperie, & conſuetudine ægrotantis, anni tempore, regione, & id genus aliis metiri conuenit. A vino verò, qui ex bubone febrem conceperunt, donec is ſolutus ſit, arcendi ſunt. At aſtricti, vel refrigerati, ſi quidem affectus lenis ſit, ac humorum plenitudo minimè adſit, prohiberi à vino non debent. Quòd ſi vehementius refrigerati ſint, aut humorum plenitudine laborent, vini abſtinentia confert.

Qui verò ex vigiliis,aut aliquò animi affe-ctu,in febrem inciderũt,vbi ſe lauerint,humido & boni ſucci victu reficiendi ſunt. Vinum autem maximè quidẽ omnibus iis,qui peruigilarint, intrepidè dandũ eſt : præterquàm quibus caput dolore afficitur, aut tẽpora pulſant. Quod & in omnibus aliis obſeruandum eſt. Sed & ira,triſtitia,& cura affectis vinum adhibendum eſt: excandeſcentia verò febricitantibus non antè quàm ab eo affectu omnino cõquieuerint. Nã prius vino vti tutò non poſſunt. Perpetuò autem infeſtanti cauſæ contraria opponenda ſunt remedia:labori quidem quies, vigiliis ſomnus:iræ,triſtitiæ,& excandeſcentiæ, ſermones,actiones,ſpectacula , & rerum narrationes, quæ animo voluptatem afferant. Sic & qui cogitatione laborat , ab hac omnino ceſſet. Et qui ex bubone febrem cõtraxit,hunc ipſum curet: atque in primis vlcus,ex quo ortum bubo habuit. Hæc quidẽ de diariarum tum ſignis,tum remediis abũde dicta ſint.

Oſtenſum prius eſt vniuerſalem medendi rationem conſtare ex qualitate, quantitateq́; remedij cuiuſq;,vtendi modo, & occaſione : qualitatemq́; potiſſimũ ab affectu præſcribi, qui perpetuò contrarium efflagitat. Omnis enim exceſſus,per contrarium exceſſum ſanatur. Cum igitur

tur febris, intemperantia calida ſit, per id quód refrigerat, curatur. Sub affectus nomine intelligo, & cauſas hunc efficientes, & diatheſes ſeu affectus. Itaq; ſi febris eſt, & cauſa eius deſijt, ſolùm febri intendimus. Sin vtraq; adſit, hoc eſt febris, & quæ hanc effecit cauſa: hæc quidem ſummouenda eſt, & illa extinguenda. Quòd ſi affectus quoſdam febris, aut eius cauſæ pepererit, nec ipſi negligendi ſunt: vt mox dicetur. Ex diarijs igitur cum alia coniunctam ſecum habeat cauſam: alia ſine hac ſit ea: cuius cauſa iam deſiit, ſolùm refrigerari, ac humectari deſiderat: qualis eſt, quam ira peperit. Sed quæ cõiunctam habet cauſam: cuiuſmodi eſt ex bubone, obſtructione & dẽſitate cutis, huic primũ ſuccurrendũ eſt, deinde febri. Quòd ſi affectus quoſdã reliquerint, verbi gratia, labor ſubſtãtiæ corporis diſsipationem, & ſiccitatem, his quoq; prouidendum eſt. Quò fit, vt diariæ febres partim eãdem, partim diuerſam curãdi rationem habeant. Omnes quidẽ, inquit Galenus, in primæ acceſsionis inclinatione, in balneum ducẽdi ſunt: tum pinguiter fricandi, & victu boni ſucci reficiendi. Cur autem omnes lauari debeant, prius diximus. Nõ omnes tamen eodem modo, nec eiſdem balnei partibus vti debent, nec eadem victus ratione. Nam qui ex cutis denſitate, aut bubonibus febrẽ contraxerunt, vtiliter in balnei aëre immorantur: tum quòd cutem rarefaciat, tum vaporem è cor-

pore foras eliciat: nec ægrotos ſiccitate ledit, quẽadmodum eos quibus ex fatigatione, vigilijs, animi affectibus, & ingentibus curis febris acceßit. Nam cùm iam ab ijs cauſis reſiccatũ corpus ſit, ab aëre balnei arcendi ſunt, ne noxam augeant. Igitur in calẽte aqua diutius verſari poſſunt, vt amiſſam humiditatem eius madore reſarciant: poſtea verò in largo, ac tepẽte oleo, mollibus manibus fricari debent. Hæc enim frictio humectat, laxat, ſolidas partes emollit: & quæ in corporis meatibus detinentur, in vapores digerit. Quæ cùm omnibus diarijs ſit communis, maximè ijs, que ex laßitudine ortum habent, vtilis eſt: propterea quòd non ſolum partes ſolidas labore reſiccatas ac induratas, ſed & totum corpus pariter affectum humectat ac emollit: & quod detentum in meatibus eſt, diſcutit. Porrò autem qui ex fatigatione febrem conceperunt, cibi & vini tantum permittitur, quantùm concoquere poßint, ſemper enim vitanda cruditas eſt. Labore enim dißipata corporis ſubſtantia, vberiore victu, & concoctu facili reparãda eſt. Modum autem cibi ſumendi metimur viribus, ætate, naturali temperie, & conſuetudine ægrotãtis: præterea anni tempore, regione, & alijs id genus. Nam validæ vires plus, imbecillæ minus concoquere poſſunt: & qui creſcunt (quia plurimum habent calidi innati) vberiore alimento egent. Eadem ratione, quia hyeme ventres ſunt

calid

talidiores, ideo per id tempus copioſius alimentum dandum eſt. Conſuetudo quoq; natiua temperies, regio, & id genus alia, maiorem minorémve modum requirunt. Tenuiter verò alendi ſunt qui ex cutis denſitate, & bubone laborant, vt in quibus ſubſtantia corporis deperdita non ſit. In febre autem ex bubone, non antea vinum dandum eſt, quàm is reſolutus ſit: non tam quòd febri ſit inutile, quàm quòd bubonis curationem remoretur. Auget enim humorum in affectum locum defluxum, proinde & inflammationem: qua ratione & febrem. Sed nec aſtricti, nec refrigerati, niſi plenitudine laborant, aut vehemẽter cutis aſtricta ſit, vino abſtinere debent. Nã ſi leuis affectus eſt, & nulla adſit plenitudo, nullam adferet noxam aſſuetis, ſi modicè bibatur: immo corpus aſtrictum reſerat, & refrigeratum calfacit. Quos verò vigiliæ, aut animi curæ exercuerunt, lauare primùm oportet: deinde humido, & boni ſucci victu reficere: vt à ſiccitate, quæ ab ijs iniurijs illata eſt, vindicentur: præterea & vires recreent. Maximè verò ijs, qui peruigilarint, vinum dandum eſt, quibus ſcilicet magna vis ſpirituum exhauſta ſit: quos vinum facilimè, ac celerrimè reparat. Quibus tamen caput dolet, aut tempora pulſant, ſiue ij vigilarint, ſiue alia quauis occaſione affecti ſint, à vino temperare debent: vt quod facile ad caput feratur, ſecumq; humores rapiat: vnde eiuſmodi affectus

augentur. Eodem iure ira, mœrore, & cura afflictus, id miniſtrari debebit. Sed excandeſcentia febricitantibus ac furore, omnino denegari: vt in quibus maximè ſpiritus, & ſanguis efferueant. In ſumma autem infeſtanti cauſæ, cōtraria remedia opponenda ſunt: verbi gratia, labori quies, ſomnus vigilijs, iræ, triſtitiæ & excandeſcentiæ, confabulationes, hiſtoriæ, ſpectacula, rerum narrationes, quæ voluptatem animo adferant, eiusq; mores componant: timori, quæ ſecuritatem: cogitationibus, remiſsio, ac ab ijs ceſſatio: exuſtioni, refrigeratio: (refrigeratur autē, ſi ſyncipiti roſaceum, aut omphacinum oleum infundatur: his quoq; prodeſt victus ratio, quæ refrigeret, & humectet) refrigerationi, quæ calfaciant, vt oleum calidum eodem modo adminiſtratum. Item cibus calidus, & boni ſucci. Et quibus bubo hoc malum peperit, in primis vlcus, quod hunc attulit, curādum eſt, deinde bubo: qua autem ratione id fiat, ex libris Methodi medendi Galeni petendum eſt, obſtructioni, deterſio: cuius abigendæ rationem, quoniam hæc & febres putridas committit, cùm de ipſis differemus, docebimus. Hæc igitur nunc abunde dicta ſint.

ALIAE vero febres, aut ex inflammatione, aut humoribus accendūtur. Et quæ ex inflammatione ortum habent, inflammatarum partium velut accidentia quædam

dam ſunt, morbusq́; ab affecta parte denominationem ferè accipit; vt phrenitis, peripneumonia, pleuritis, & alij id genus: de quibus poſtea diſſeremus. Quæ vero ex humoribus accenduntur, & eo ipſo nomine febres vocantur, & ſunt: non autē morborum accidētia, ſed ipſæ morbi: quarum aliæ accidentibus carent, manſuetiſsimæq́; ſunt: aliæ vero vnà cum accidentibus negotium exhibent. De prioribus quidem, quæ accidentibus carent, noſtra erit diſputatio: in quibus maxime, ſi fieri poſsit, primo ſtatim die febris qualis nam ſit cognoſcenda eſt, diuturnáne an acuta, intermittens an continens. Quòd ſi die primo id aſſequi nō poſsis, ſecundo ſaltem eius ſpeciem inuenire tentabis. at ſi nec eo quidem die certi quicquam habueris, tertius certe omnino tibi manifeſtius quidpiam adferet. Nā paucæ admodum febres ad exactam ſui cognitionem, quartum diem deſiderant. Quibus vero notis febris ſpecies depræhendi poſsit, quàm breuiſsime fieri poterit tibi explicabo. Nam de his omnibus alibi fuſius atque manifeſtius diſputatum eſt.

Putredo fit, cum totius putreſcentis corporis ſubſtantia, à calido externo ad corruptionē permutatur. Permutat autem alienus calor maxime

me corpora, quæ calida ſunt, & humida: hæc quidem, quòd facile caliditas natiua humidum cum ſicco continere non poteſt (omnia enim reſolutis his elementis putreſcunt) illa vero, quòd prompte à ſuo ſimili afficiantur. Externum calorem non ſolum ambientis nos aëris, ſed & eum qui in corpore ſæpenumero præter naturam accenditur, intelligo, rei cui ineſt alienum, ac incommodum: natiuum vero qui rem, cui ineſt, tuetur. Seruatur autem hic in animantis corpore, per reſpirationem quidem, in corde: in reliquo corpore per cordis communicationem, & cutis tranſpirationem. Siquidem inſpiratione, & arteriarum diſtentione, attrahitur aër, quo refrigeratur: expiratione vero, arteriarúmq; contractione, calida fumoſaq; recrementa expelluntur, alioquin natiuum calorem diſsipatura, & alienum adlatura. Itaq; impedita reſpiratione, & perſpiratione accenditur in corde, & in toto corpore calor, vnde & putredo naſcitur, quæ eſt velut natiuæ caliditatis conſumptio, vt Ariſtoteles docet, rectéq; eius cauſam eſſe idē autor ait, natiuam frigiditatem humido coniunctam: hoc eſt caloris natiui defectum, ac conſumptionem. quod enim putreſcit, propriæ caliditatis indigentiam ſuſtinet, ac defectum: vt idem ſcribit. Vbi enim calor rei, cui ineſt, magnitudine non reſpondet, hanc corrumpi, ac putreſcere neceſſe eſt: contrà, viuere, ſanum eſſe, ac incolumen, & robore

vale

valere,in qua re naturalis caliditas pollet , vt autor eſt Galenus:ſolus enim is reliqua elemēta vincit,miſcet,& miſta conſeruat: qui ſi pereat rem in ea, ex quibus conſtat, reſolui neceſſe eſt. quod nihil aliud eſt, quàm putreſcere,ſi quidem violenta corruptio non ſit. Ex quo liquet eundē eſſe apud medicos & philoſophos putrefactionis modum. Sed quæ putreſcunt , vt varia inter ſe ſunt,ſic eorum putredines diuerſæ: ſemper tamen in omnibus idem putreſcendi modus: ſed nō omnem putredinem eadem accidentia ſequuntur. Sanguinis enim & aliarum corporis partium humidarum & calidarum putredinis,grauis odor comes eſt: oſsium vero , aliarumq; partium ſiccarū & frigidarum,nequaquam. Ad eundem modum,lignum,lapidem,ferrum,putreſcētia,nullus:cadauera vero ſimileſq; res, præſertim calidas & humidas,grauis odor comitatur: omnia tamen , vt dixi,eodem modo putreſcunt, nempe diſsipando natiuo calore . quocirca male nonnulli fœtore medicam putredinem à philoſophorū putredine diſtingunt:eadem enim vtraq; eſt.Itaque in animantis corpore primùm humores,deinde adipes,tandem caro, & reliquæ partes ſolidæ putreſcunt:humores quidem,vel in vaſis,vel extra vaſa, atq; hic interdū in parte inflammatione obſeſſa , pariuntq; febrem , quam, quia velut inflammationis acceſsio eſt , ſymptoma,non febrem proprie dicimus. Neq; vero in-

flam

ſlammatio hanc accendit, niſi magna ſit, & cũ corde vel vicinitate, vel conſenſu per arterias putrem fumum communicare poßit: velut pleuritis, phrenitis, peripneumonia, & iecoris inflammatio: interdũ in genere carnoſo, hoc eſt, in meatibus & venulis, per totam carnem diſperſis: cũ ibi ſolita corporis recrementa, ob cutis aſtrictionem detinentur. putreſcunt enim, quia non diſflantur: pariúntq; febrem intermittentem. Nam reſoluto in prima acceßione putri humore, remanet velut focus quidam: in quo vel poſtero, vel alio deinceps die ſequẽte, rurſus putreſcit humor. qui partim relictus ex priore acceßione erat, partim ex maioribus vaſis in minora confluxerat: ſcilicet ob cutis ſtipationem detentus, fitq; noua acceßio, ſerius aut citius, pro humoris conditione: vt mox dicemus. In vaſis vero, aut æqualiter omnibus, vel in magnis, cuiuſmodi ſunt iecoris, ventris, pulmonis, & quæ inter alas & inguina exiſtunt, continuam febrem accendunt. Atq; hæc duo poſteriora febris genera, re vera & ſunt, & vocantur febres: quarum aliæ ſolæ exiſtunt, accidentibusq; carent: proindeq; ſunt manſuetæ. Aliȷs vero alia mala accidunt: quæ aut virtutem lædunt, aut affectionem augẽt: vt vigiliæ, dolor, immodica vacuatio, & id genus alia, de quibus alio loco dicetur. Prius vero de ȷȷs ſermo habebitur, quæ ſymptomatis carent. In his autem cognoſcenda eſt febris qualíſnam ſit,

diut

diuturnáne an acuta, intermittens an continẽs: idq́; vel primo die, vel ſecundo, vel ad ſummum tertio. Cur ita? Vt ratio victus probe inſtituatur: alia enim acutis, alia diuturnis morbis debetur: quemadmodum intermittentibus alia, alia continuis, vt in ſequentibus docebitur. Quomodo autem hæ febrium differẽtiæ cognoſci poſſint, tum ex ijs quæ declarata iam ſunt, tum ex ijs quæ mox dicentur, palàm fiet.

QVAE igitur cum rigore inuadunt, non ab re ex earum numero eſſe, quæ circuitu quodam repetunt, duxeris. Tertianæ enim atque quartanæ, omnino cum rigore laceſſunt. Sed tertianæ ſæpe cum vehementi rigore, primo ſtatim impetu incipiunt. Quartanam vero, nunquam cum vehementi rigore incipere vidimus: ſed tẽporis progreſſu rigori vehementiam accedere. Adde, quòd plerũque ab initio ſtatim hæc febris non ingruit, ſed aliis antegreſsis, nimirum erraticis & vagis, quas Græci *πλανήτας* vocãt, febrib⁹ ſuccedit. Vix autẽ citra oris ventriculi iniuriã fit quotidiana: quẽad modũ nec ſine lienis vitio quartana: nec tertiana abſque iecoris offenſione. Quinetiã, ſi à vehemẽti rigore febris initiũ ceperit, tertianam magis, quàm aliquã aliã eſſe iure fateberis. Quòd ſi & alia, quę deinceps dicentur

tur, conſentiant: hanc quidem ſtatim primo die tertianam eſſe certo ſcies. Sin cum leui rigore incœperit, tum aliæ notæ potius conſiderandæ ſunt: cum non quotidiana ſolum, aut quartana, ſed & ſemitertiana, aut alia ex continuarum genere aliqua eſſe poſsit. Alia vero indicia ex caloris tum qualitate, tum quantitate, arteriarumque motu, & ex rigoris ſenſus ſpecie, anni tempore, regione, aëris conditione, ægrotantis natura, ac ætate, atq; ex iis quæ præceſſerunt ac ſequuntur, petenda ſunt. Nam calor quidem multus, acrisq; eſſe debet: pulſus vero magni & calidi, vehementes, celeres ac frequentes, omnis inæqualitatis præterquam febrilis, expertes. Rigor vero, velut cum corpus ab aliquo acuto magis quàm frigido pungitur: cum in quartanis & quotidianis, frigidus rigor ſentiatur. Anni vero tempus æſtiuum ſit, quemadmodum & regio calida, & præſens aëris conditio: laborantis quoq; natura calidior ac biliosior ſit, ætas adoleſcentia, præceſſeritq; exercitatio magis quàm otium, æſtus quàm refrigeratio, victus parcus quàm largus. Vigiliæ quoque & mœrores, & laſsitudines, pertinacesque curæ, ad id magnum habent momentum. Quòd ſi eo tempore multos tertianis corripi contigerit, maximum

mum eius febris, vnà cum iam declaratis argumentum erit. Hæc autem omnia ſi adfuerint, aut eorum maxima & accommodatiſsima, vehemensque ſitis, vomitus item bilioſus, vel ſudor, vel vtrunque ſuperueniat, iam tum febris perſpicue apparebit. Quòd ſi poſt hæc à febre conquieuerit æger, hac inquam febre quæ ex ſuo motu omnibus eſt cognita: relinquatur vero propria febrium in arteriarum motu inæqualitas: æque pro certo hanc eſſe tertianam pronuntiare poſsis, ac ſi tertio iam die acceſsionem videas rediiſſe.

Intermittentes febres ſucci in carnoſo genere putreſcẽtes, alij alias generant, diſpari interuallo redeuntes: Bilis quidem flaua parit tertianã, id eſt quæ tertio quoq; die repetit: Pituita quotidianam, hoc eſt quotidie redeuntem: Et atra bilis quartanam, quæ quarto quoq; die renouat acceßionem. Natura enim ſerius vel tempeſtiuius, mitius vel vehementius, pro qualitatis quãtitatisq; humoris laceſſentis conditione, mouetur: hæc enim laceßitur, humoris aut quãtitate degrauãte, aut acrimonia mordente, quam putreſcendo contrahit. Cum igitur alius humor alio facilius putreſcat, vberiorq; eius in corpore modus ſit, fit vt acceßiones aliæ frequentius, aliæ tardius redeãt. Bilis enim atra, quoniã frigida eſt & ſicca, proinde putredini minus obnoxia, eáq; pau-

ca, ſolum quarto quoq; die naturam mouet. Pituita quia putredinis cauſam vnam habet, nempe humiditatem, & multa eſt, quotidie: quemadmodum flaua bilis caliditatem, ſed quia paucior quàm pituita eſt, tantum alternis diebus. Diximus enim calida & humida, obnoxia eſſe putredini: ſicca vero & frigida, huic reluctari: ſic & rigor alius alias febres antecedit: tertianam quidem vehemens, qui proprie rigor dicitur: quartanam horror: quotidianam vero ſolum frigus. Eſt autem rigor, vt Galenus finit, motus multus, id eſt numeroſas habens motiones: citus, id eſt cum impetu: & denſus, id eſt breue habens quietis tempus. horror hæc quidem omnia habet, ſed remiſsiora: frigus vero ſine vllo motu in cute ſentitur. Itaque in rigore totum corpus ad modum declaratum concutitur, ſcilicet luctante cum humore virtute in horrore cutis, & muſculi cum quadam laſsitudine, pigritia, et mouẽdi difficultate: in frigore nulla concuſsio ſed tantũ, vt dixi, cutis inalgeſcit. rigorem adferunt ſenſus præſtantia, materia virtutem proritans, & motionis vehementia. Præſtans enim ſenſus facile noxam ſentit: proinde virtus facile irritatur, ac cogitur ad materiæ excretionẽ. Si igitur virtus valida ſit, vehementer, quantum ex ipſa eſt, materiam impellit: quæ ſi ad motum pigra non ſit, ſuaq; caliditate & acrimonia partes, per quas defertur, mordeat: rigorem (id eſt motum ac con

ac con

ac concuſſionem totius corporis) multū, denſum, & citum procreat. Si vero eiuſmodi cauſæ remiſſæ ſint, id eſt ſenſus hebetior ſit, materia minus calida, minusq; acris, & ad motum pigrior, virtusq; minus robuſta, horrorem, id eſt cutis & muſculorum concuſſionem pariet. Sed ſi obtuſus ſenſus ſit, materia viſcoſa, et tarda, virtusq; imbecilla, neq; horrorem neque rigorem gignit, ſed tantum frigus. Quod qua ratione fiat, deinceps dicemus. Febrem igitur tertianam exquiſitam antecedit rigor: quia caliditas exactiorem reddit ſenſum, quemadmodum contrà frigus conſopit. Deinde humor vehementer mordet, vtpote bilioſus & acer, & virtus robuſta eſt ob ſiccitatem, & duritiem mediocrem. Quotidianam vero nec horror, nec rigor antecedit: ſed ſolum frigus: quia humoris frigiditate ſenſus obtunditur: humore robur fatiſcit: & materia, vtpote viſcoſa, nec mordet, nec facile mouetur. Quartanas vero & ſpurias, tū tertianas, tum quotidianas quibus bilis admiſta ſit, & ſemitertianas anteit horror, mediam ſcilicet naturā ſortitus inter frigus & rigorem: quòd & eius cauſæ neque vt in tertiana validæ ſint, neq; vt in quotidiana languidæ: ſed in harum medio conſtitutæ. Cæterum quartanæ febres vagis febribus ferè ſuccedunt. Nam diuturnitate corporis habitum reſiccant, ac humores adurunt: propterea in quibuſdam exemplaribus additum in dictione eſt, διὰ φλὲ-

γμα : hoc eſt, propter pituitam. Phlegma enim (vt ipſa vox indicat) non aqueam ſeroſamq; humiditatem, ſed ſiccam ac retorridam craßámq; pituitam ſignificat. Inareſcit enim ac craſſeſcit hæc febrium longitudine, quales erraticæ vagæq; ſunt. Vagas ac erraticas vocat Galenus, quæ incerto tẽpore, ac non eodẽ modo repetunt. Quod fit ob victus rationẽ nõ rite inſtitutã, aut quia varij in varijs corporis partibus humores putreſcunt. Nã hos humores partes quædã citius, quædã tardius accẽdũt: ex quibus alij ad putredinẽ proniores, alij minus proni ſunt. Vix aũt citra vẽtriculi affectũ fit quotidiana, propter pituitã, qua abũdare ſolet: & quartana ſine lienis malo, ob atræbilis copiã: & ſine iecoris vitio tertiana, quòd in eo viſcere flaua bilis cumuletur. Cũ igitur à vehemẽti rigore febris initiũ ſumit, ſi et alia, quæ deinceps docebũtur, ſigna conſentiãt, primo ſtatim die eam tertianam eſſe iudicare poteris. Sin cum leui rigore incœperit, qui & aliarum quoq; febrium communis eſt, alia ſigna erunt animaduertenda. Leuis enim rigor interdum tertianas antecedit, cum ſcilicet virtus debilis, & ſenſus hebes eſt. Itẽ quartanas, ſemitertianas, & alias quaſdã ex cõtinuarũ genere: præterea & nothas tum tertianas, tũ quotidianas, quibus ſcilicet admixta bilis ſit. Eſt enim ſemitertiana, vt Hippocrates finit, cõtinua, horrifica: cõtinua quidẽ quotidiana, cui adiũcta tertiana interpellata ſit, cũ

horro

horrore alternis diebus repetens. Sed et aliæ quædã ex multis particularibus acceſsionibus febres procedunt: ita vt prioris finẽ altera acceſsio cum horrore præueniat, vocanturq́; continuæ, ſed homonymæ. Aliæ quoq; permultæ cõtinuæ, & quæ vnica finiuntur acceſsione, à leui rigore, vel frigore incipiunt, ob materiæ vel inæqualitatem, vel malignitatẽ. Sũt & aliæ febres, quas Hippocrates horrificas appellat, quòd per totam ferè earum acceſsionem corpus inhorreſcat: idq́; vel reduplicato febris incremento, vel eo ipſo citra reduplicationem inæqualiter increſcente. In quibus ſi longioribus interuallis horror remeat, reduplicatio & dicitur, & fit, maxime in ſemitertianis: ſin breuioribus, horrificus, inæqualisq́; motus dicitur, vt autor eſt Galenus. Cum igitur leuis rigor tertianam febrem antecedit, ad alias notas cõfugiendum eſt, nempe caloris qualitatem, ac quantitatem, arteriarum motum, aëris conditionem, ægrotantis naturam, ac ætatem, & alia quæ affectum, & præceſſerunt & ſequuntur. Calor quidem acer ac multus eſſe debet: ſiquidem bilis natura acris eſt, ac mordax, facileq; ob tenuitatem ſoluitur in vapores, acrimoniam caloris ad cutem deferentes: vnde fit vt non ſolum acer is, ſed multus, ſentiatur. Pulſus magni, vehementes, celeres, frequentes, omnis inæqualitatis expertes, præterquam febrilis. Exemplar Græcum typis excuſum habet, τοὺς δὲ

σφυγμοὺς μεγάλους, καὶ θερμοὺς, καὶ σφοδροὺς. ſed qua ratione pulſus θερμοὺς, id eſt calidos vocet, non video, niſi micantis arteriæ caliditatem indicare velit. Magnitudo igitur pulſus & celeritas, ad robur arteriæ, vrgentem neceßitatem, & ſequax inſtrumentum referuntur, frequentia ad neceßitatem, & vehementia ad robur. Nam cum hæc febris maxime omnium intermittentium refrigerari deſideret, hoc melius per naturam aſſequi non potuit, quàm pulſus magnitudine. Magna enim diſtentio multum aëris ambientis haurit, & magna conſtrictio plurimum recrementi fuliginoſi expellit. Celeritas & frequentia, pari modo plurimum refrigerant. Vehemētia inſtrumēti robur indicat: hinc fit vt nulla ſit præterquàm in vna pulſatione inæqualitas, quæ neceſſarie putridas febres conſequitur, vti prius oſtēſum eſt. Rigor corpus velut res quædam acuta magis quàm frigida ob bilis acrimoniam, in hac febre pungit: in quartana vero & quotidiana, ſentitur frigidus, nō pungens. Anni tēpus æſtiuum, & regio, præſensq; aëris cōſtitutio calida, tum inſpirato & attracto per arterias aëre calido, tum contactu corpus calfaciunt, proindeq; bilem in corpore gignunt. vbi hæc ergo præceſſerunt, licebit potius tertianam, quàm aliam febrem iudicare. Laborantis natura, & ætas calidior, fatentur tertianam: exercitatio, æſtus, paucus cibus, vigiliæ: mœrores, laßitudi-

nes, & vehementes curæ vim habent augendæ bilis:eam ob rem, ſi præceſſerint, magnam tertianæ coniecturam adferunt. Quòd ſi eodem tempore in complures alios eiuſmodi febres graſſentur, certior erit nota. Quãdo graſſari ſimiles affectus, vbi præceſſerint ſimiles cauſæ, ſolent: aut quòd eodem victu omnes vſu fuerint, aut idem cœlum paßi. Sequuntur tertianam ſitis, ſudor, vomitus. Sitis fit aut ſolo caliditatis exceſſu, citra humoris conſumptionem, vt in hydrope, aut ſolo humiditatis defectu, citra caloris incrementum, vt in hydrophobia, aut vtroque, vt in febre ardente, & tertiana. In quibus cor primum incaluit, deinde ſua vicinitate cum ore ventris & cum pulmone calorem, & pulmo cum ventriculo, eiusq; ore, ac tandem cum lingua communicat: vnde ea ariditatem ſæpe contrahit, ac aſperitatem. Solet tamen plerunq; ſtomachus, & à bile ex corpore in ipſum refuſa incaleſcere, ſitiq; vrgeri, & bilioſa per vomitum reijcere. Quòd ſi ad cutem bilis feratur, ſudores mouet: ſi ad inteſtina, alui fluorem. Ad hæc ſi à febre cõquieuerit æger, hac inquam, quæ ſe omnibus, ex ſuo motu prodat: relinquaturq; propria febrium in arteriarum motu inæqualitas: ita pro certo hanc tertianam eſſe pronuntiare poteris, ac ſi tertio iam die acceßio rediiſſet. Propriam inæqualitatem pulſus, vocat eam quæ in vna arteriæ pulſatione fit: de qua, cum abunde ſuprà diſputatum

ſit, nihil nunc diſſerendum eſt.

QVARTANA vero (nam & huius notas tibi commemorare oportet) euidentiſſimum quidem ſui indicium præbet, initio ſtatim acceſsionis, quando ipſi adhuc ægroti rigent. Pulſus enim admodum raros, ac tardos obtinet: ſed neceſſario dum ad vigorem peruenit, vel adhuc etiam increſcit, celeres ac crebros: ſeruatur tamen & tunc natiua eorum tarditas ac raritas, ſi celeritatem & frequentiam adiectam acceſsioni conſideres. Etenim ſi quartanæ vigorẽ cum tertianæ vigore compares, multo celerius ac frequentius in hac arteriæ tibi micare videbuntur: atq; vnius motus in quartana inæqualitas, eius ſpeciem commonſtrat: quæ cũ omnium cõmunis ſit, in hac tamen euidentiſsime depræhenditur: multo enim concitatius principium motus & finem, quàm medium inuenies. Quod in tertianis non ita habet: in his enim celeritatis exceſſus, maximeque in vigore, breuis eſt. Quinetiam caliditatis notis hæ febres diſtinguntur. Tertianarum enim calorem & ardorem ac tanquam feruorẽ in quartanis haudquaquam reperies.

Quartana à bile fit atra, cuius originem poſteriore commentario dicemus. Hæc febris per initia

initia deprahendi poteſt, etiam dum laborantes rigent: rigorem non vehementem illam totius corporis concuſsionem intelligit: ſed horrorem, & leuem rigorem, quem quartanæ cum multis alijs febribus habent communem, vti ſuprà declaratum eſt. Per hunc igitur rigorem ſtatim ab initio quartana cognoſci poteſt. Pulſus vero habet admodum raros, ac tardos, niſi dum vel increſcit, vel in vigore eſt: neceſſario enim tunc efflagitante vſu, celeriores, ac crebriores fiunt: ſed ita, vt eorum natiua tarditas, ac raritas, ſemper maneat. Rari pulſus dicuntur, cum interpoſitis longis interuallis arteria pulſat: Tardi cum longo tempore paruum ſpatium percurrit. In omni enim locali motu, cauſa quædam agens certo tẽpore aliquid per ſpatium mouet, à meta ad metam contrariam: quòd ſi reflectatur, quietem intercipi neceſſe eſt, vt docet Ariſtoteles: igitur in pulſo, agens cauſa virtus eſt quæ arteriam per ſpatium mouet, ab eius medio ad circunferentiam, dum diſtenditur, & eandẽ reflectit à circunferentia ad medium, interpoſita quiete dum contrahitur, idq́; certo tempore: ex quibus omnes pulſus differẽtiæ ſumũtur, vt ex Galeni de Pulſuum differentiis opere diſcere licet. Cum igitur virtutem vrget neceſsitas, & ſpatium eſt liberum, arteriæq́; corpus, quod mouetur, virtuti agenti paret, pulſum fieri magnum, celerem, ac frequentem neceſſe eſt. Contrà verò accidit, ſi vſus

nō vrget, ſpatium impeditum ſit, reluctetur virtuti arteria. Igitur initio quartanæ, pulſus admodum rari ſunt, ac tardi: quòd neq; vſus, celere refrigerium ac frequens deſyderet, neque ſpatium omnino liberum ſit, ſed humorum vaporumq; copia præpeditum. Nam acceßionis principio atra bilis ob frigiditatem non facile accenditur: vnde nulla refrigerandi eſt neceßitas, quēadmodum nec in quotidianis, vt mox docebitur. Quum vero accenditur, aut iam accenſa eſt, hoc eſt dum increſcit aut iam viget febris, vt celeriter ac frequenter corpus refrigerari neceßitas poſtulat, ſic pulſus celeres ac crebros efficit: ſed ſeruata genuina eorum tarditate ac raritate: rariores enim ac tardiores ſunt, quàm in tertiana: quia neceßitas minus vrget. Cæterum inæqualitas, quæ in vno pulſu fit, in quartana lucu lentior quàm alijs febribus apparet. Cum enim hæc, vti iam monſtratum eſt, fiat vrgente neceſſitate, & obſequente facultate, ſed motum interrumpente vel remorante materiæ copia, vel craſſitudine, aut inſtrumenti affectu, hoc eſt obſtructione vel conſtrictione vel compreßione, motus æqualis eſſe non poteſt: neque in tertiana, neque quartana. Cum enim in vtraq; valeat, obſequaturq; facultas per totum morbum, principio quidem nondum ſentiens onus, motum ſuum pro vrgente neceßitate accelerat: In medio vero, dum id ſentit, ea vel omnino ſubſiſtit, & quaſi reſpi-

rat,

rat intercipitq́; motum, vel nititur quidem, ſed onere preſſa motum retardat: tandem vero ad finem magna contentione, eorum more qui reſiduum operis velut collectis viribus abſoluere nituntur, properat. Itaq; principio & fine celerior eſt, medio verò tardior pulſus. Sed hæc inæqualitas in quartanis quàm tertianis apertius depræhenditur: nō quòd celerius in illis quàm his principium aut finis ſit, ſed quòd maior celeritatis & tarditatis inter principium & medium, interq́; finem & medium in quartanis quàm tertianis differentia ſit: adde quòd in tertianis tota pulſatio celerrima eſt, proinde breuiſsimo tempore abſoluitur: ergo eius principium, medium, & finis breuiſsimo tempore fient: quæ autem talia ſunt, facile deprahendi non poſſunt: facile vero, quæ contra. Itaq; breuem celeritatis exceſſum, id eſt breuiſsimo tempore durantem, non paruum eſſe dixit. quando tertianarum pulſus omnium intermittentium celerrimi ſunt: vt prius oſtenſum eſt. Vt hæc melius intelligantur, fingamus follem vtranq; viam, nempe accipiendi & reddendi ſpiritus, anguſtam habere: ſitq́; ſpiritus is craſsior, proinde ægrius tum attrahatur, tum emittatur. Vrgeat verò res, vt celeris fiat perflatio, & qui follem moderatur, ita viribus polleat, vt probe, quantum ex ſe eſt, diſtēdere & comprimere hunc poſsit. Cum igitur ex hypotheſi vrgeat neceſsitas, vt celeriter follis flatum accipiat, reddatq́;,
impe

impediatur autem per viarum eius anguſtiam (neq; enim per has tantum aëris, præcipue craſſi, attrahi ac educi poteſt, quantum vſus efflagitat) neceſsitati debita celeritas impedietur: etiam ſi vehementer contendat, qui munus mouendi follis ſuſcepit. mouebit igitur tardius quàm res efflagitat, præſertim in medio, vbi onus maxime ſentitur: in principio autem, quòd minus id grauet, celerius: in fine vero, velut reſumptis viribus, maiore contentione ad opus cœptum pergens motum accelerat: quòd ſi manente reliqua hypotheſi, vterq; ſpiritus, tum qui intromittitur, tum qui redditur, aut paucus, aut tenuis ſit, minore negotio diſtēdetur, comprimeturq; follis. Ad eūdem modum in arterijs fit: diſtenduntur enim, ac comprimuntur pro rei impellentis neceſsitate. Si quidem calor vrgeat, & fuliginoſi effluuij copia adſit, has diſtendi comprimiq; celeriter oportet: niſi quid impediat. in febribus autem, de quibus noſtra eſt diſputatio, calor præter naturam vrget, facultas quantum poteſt, obſequitur: ſed motum tum humores deprauantes, aut alio quouis modo impedientes, nimirum vel ob craſſitiem vel multitudinem liberum exitum nō habentes, tum arteriæ affectus remorantur. Affectum hic maxime intelligo obſtructionem, quæ reddendi emittendiq; ſpiritus debitam neceſsitati celeritatem impedit. Præterea humores & vapores facultatem impediunt, quo minus ad a-

ctionem expedita ſit:mirum itaq; non eſt, ſi in ipſius motionis medio tardior pulſus ſit, aut etiã interdum prorſus intercipiatur:ſiq; in quartanis tarditas maior, & inæqualitas, quæ in vna fit pulſatione, maior inueniatur. Rurſus caliditatis notis, hæ febres diſtinguntur. Feruet enim ac deurit in tertianis calor, quòd bilis flaua prompte igneſcit:in quartanis, quia atra bilis frigida ſiccáq; eſt, paulatímq; accenditur, vt teſta vel lapis, paucumq́; fumum emittit, minor calor ſentitur.

HAEC quidem maxima ſigna ſunt:reliqua vero externa, neque hæc ſunt omittenda. Quin ægrotantis natura conſideranda eſt, num ad atram bilem magis declinet, & an tempus anni autumnus ſit, præſensque aẽris conſtitutio inæqualis. Sic vero & loci, & morborum tum ingruentium natura inſpicienda:& num lien intumuerit, febresq́; inordinatæ præceſſerint, & ætas vigorem exceſſerit, febrisque in ſudores deſierit: in hac enim vomitus bilis expectandus nõ eſt: quemadmodum neque in quotidianis, cum id tertianarum proprium ſit.

Signa, vti iam dictum eſt, alia maxima præcipuaq́; alia minus præcipua. illa rem certiſsime oſtendunt:ſumuntur autem à febris ſubſtantia, quæ eſt in genere caloris, cuius differentias prius

expo

expoſuimus: Ab actione læſa, vt eſt pulſus inæqualitas, celeritas, tarditas, raritas: Ab excrementis, velut vrinis: & à qualitatibus, quæ neceſſario ſequũtur. Alia ſigna minus præcipua, quæ affectum obſcure explicãt, ſumũtur tum ab ijs quæ in corpore ſunt, vt ætate, temperamento, habitudine, & qualitatibus temperaturam conſequentibus: tum ab ijs quæ forinſecus incidunt, vt victus ratione, conſuetudine, vitæ inſtituto, exercitatione tum animi, tum corporis, vigilijs, anni tempore, regione, & præſenti aëris conſtitutione, morbis item popularibus, atq; hæc externa vocat Galen. Itaq; quartanæ præcipua ſigna ſunt pulſus raritas, tarditas, & luculenta inæqualitas in vna pulſatione: calor nec copioſus, nec deurens, qualis in tertianis eſt, vt paulo antè monſtrauimus: vrinæ variæ quidem, ſed tamen crudæ, vt mox dicetur, hanc febrẽ teſtantur. Eius febris ſigna minus præcipua, inclinans ætas: quæ atram bilem plurimam gignit, temperatura melancholica, quæ hac abundat: quemadmodum & conſuetudo, habitudo corporis extenuata, cutis nigra & hirta, naturam arguunt melancholicam: victus ratio parca & quæ atram bilem gignere idonea ſit: vitæ genus, id eſt ars quam quiſq; exercet, ſi magni ſit laboris, & calido ſiccoq́; loco exerceatur, vt ferraria, atram bilem gignit: quemadmodum labor ingens, & longus, & curæ, mærores, & vigiliæ diuturnæ, autumnus,

&

& aëris conſtitutio inæqualis, quæ modo calida, modo frigida ſit cum ſiccitate. Hæc enim omnia atram bilẽ augent. Quòd ſi & quæ vulgo graſſantur febres, quartanæ ſint, magnam tibi fidem facient: quemadmodum & lien ſi intumuerit, magnam vim atræ bilis in corpore congeſtam eſſe teſtatur. Febres quoque inordinatæ, id eſt, vt prius vocauit, vagæ ſi præceſſerint, quartanam eſſe fatentur, vt quæ diuturnitate humores adurant, vt ſuprà dictum eſt. Hæc quoq; febris, ſi in ſudores deſierit, quartanæ indicium adfert: etſi tertianæ quoq; ſudor communis ſit, ſed in hac copioſior, in illa parcior propter materiæ paucitatem: quæ nihil ſemiuſtum poſt acceßionem relinquit, ſed vacuatur per ſudores: quod in quotidianis minime fit propter materiæ viſcoſitatem. Neq; vomitus bilioſus in hac, quemadmodum nec in quotidianis, expectandus eſt: cum ſit tertianarum proprium. Nam hæ à bile flaua fiunt, quæ ad ſtomachum ſæpe refunditur: quartana ab atra bile: quotidiana à pituita.

QVOD ſi pacata febre eius ſignum adhuc permaneat, & pulſus naturali ſit rarior ac tardior, palam eſt ipſam quartanam eſſe.

Signa quæ remanent ſedata febre, quæ hanc adfuiſſe teſtantur, ſunt oris & ſputi ſapor vel acidus, vel inſipidus, & guſtu ingratus, pulſus inæqualitas. Tametſi eiuſmodi febris puram ex-

quiſi

quiſitamq́; intermißionem habere videtur, vt Galenus autor eſt lib.II.de Differẽtÿs febrium, eò quòd in ea omne id humoris melãcholici quod eſt exuſtũ, euacuatur, atq; diſcutitur. Sed reuera pura nõ eſt: nam paulo antè dixit, in nulla febre præterquàm diaria pulſum ad naturalẽ habitum redire, etiam ſi inter duas acceßiones longũ intercedat ſpatium, vt in tertianis & quartanis. Porrò quartanæ pulſus poſt inclinationẽ rariores ſunt, ac tardiores quã naturales: quia eius febris materia natura frigida eſt, ſed febris calore incalfacta, pulſus crebriores & celeriores efficit: abacta vero febre redit ad naturam, corpusq́; refrigerat, & pulſus rariores ac tardiores efficit.

QVOTIDIANAM autem his maxime notis depræhendes: Calor neceſſario humentior eſt, cum quadam acrimonia: quam nõ protinus admota manus, ſed permanens ſentit. Caliditatem enim quandam fumoſam cum largo vapore commixtam exire putabis: ſcilicet igni in multa humiditate potius ſuffocato, quàm ipſo materiam euincente. Sed & harum pulſus minores ſunt quartanarum pulſibus, quàm quartanarum pulſus ſint tertianarum. Rurſus quotidianarum pulſus tanto ſunt tertianarum pulſibus rariores, quanto harum ſunt quartanarum pulſus. At in vtriſque eadem eſt tarditas. Verum hæc febris minorem

rem adfert ſitim : hanc itaq; quartana tantum excedit, quantum quartanam tertiana. Atque in tertianis quidem lingua, totumq; corpus aridiſsimũ eſt, in his vero humidiſsimum: vomitionesque pituitoſæ, & quicquid per ventrem excernitur, frigidius, humidius, crudius, aquoſius, & pituitoſius eſt. Et in hiſce febribus, vniuerſum corpus crudis humoribus ſcatet. Siquidẽ hæ ætatibus, naturis, anni tẽporibus, & temperaturis humidioribus accidunt. Nunquam enim, adoleſcentem bilioſum, ac natura ſiccum, hac febre correptum vidimus. Pueri vero, præſertim natu minores, & ex grãdioribus qui pituitoſi magis, ac corporis habitudine craſſa ſunt, vitamque agunt otioſam, gulæ indulgentes, & ebrietati dediti, crebro balneis, maximeq; à cibo vtentes, quotidianis facile corrumpũtur: ſed & locus humidior, & tempus hybernum, aërisq; cõſtitutio humidior, hanc maxime febrem inuehũt: quæ ſi tunc etiam graſſetur, præter antè dicta, maximam adferet cognitionem. Verũ harum febrium declinationes, vti tertianarũ, & quartanarum ſudoribus non finiuntur: vnde neque ad manifeſtam febris remiſſionem, paucis quibusdam exceptis perueniunt. Vrinæ autem procedente febre totius morbi tempora docent: initio vero eius

ſpeciem oſtendunt. In quotidianis enim aut albæ, vel tenues, vel craſſæ, & turbulentæ, aut rubræ apparent: In tertianis rufæ vel ſubrufæ: In quartanis vero variæ, ſed crudę omnes. Atque hæ quidem ſunt febrium intermittentium notæ.

Quotidianæ calor humidior eſt ob materiæ ex qua gignitur humiditatem, hoc eſt pituitæ, cum acrimonia quadam, quam putris fumus parit: hāc quidem acrimoniam protinus manus non ſentit admota, ſcilicet copioſo vapore obrutam: ſed quam manu diutius manente, facile percipias. Pulſus quotidianarum ſunt omniū intermittentium minimi. Quotidianarum enim pulſus, quartanarum minores ſunt, minores inquā, quàm quartanarum pulſus ſunt, tertianarum. Tertianarum enim maximi, celerrimi ac creberrimi ſunt. Quartanarum rariſsimi. Cæterū quotidianarum rariores quàm tertianarum, & frequentiores quàm quartanarum. Ex æquo vero tardi ſunt in quotidianis & quartanis. Nam calor in tertianis maxime vrget, facultas obſequitur, & inſtrumentum non reluctatur: in quotidianis neceſsitas non admodum impellit, facultas conſopita eſt, & inſtrumentū humoris copia impeditum: vnde multū vel dilatari, vel cōtrahi non poteſt. In quartana vero calor quidem non multum vrget, quemadmodum nec in quotidiana: facultas vero manet, & minus inſtrument

mentum impeditur: propterea quòd parcior vapor & humor, quã in quotidiana, infeſtet. Ad hæc quotidiana minorem ſitim adfert: tertiana vehementem: quartana mediocrem. Nam tertiana corpus calidiſsimum, & aridiſsimum reddit: quotidiana frigidum & humidiſsimum: quartana vero ſiccum quidem, ſed minus quàm tertiana calidum. Quemadmodũ igitur in tertiana tum per aluũ, tum vomitione biliosa vacuãtur: ita in quotidiana, frigida, humida, cruda, aquoſa, & pituitoſa In ea enim corpus crudis humoribus redundat, vt quæ ætatibus, temperaturis, aëris conſtitutionibus humidioribus, & alijs, id genus accidat, quæ pituitã generare ſolẽt: in tertiana bilioſus exuperat humor, à cauſis calidioribus & ſiccioribus genitus. Cæterum quotidiana non deſinit in ſudores præſertim vbi pituita cutis & ſubiectæ carnis meatibus inhæret. Qua ratione in manifeſtam quietem minimè deſinit. Vrinæ autem in intermittentibus febribus humores, qui extra vaſa putreſcunt, raro indicant: quoniam hi vt plurimum per ſudores, vel inſenſiles tranſpirationes vacuãtur. Qui vero in vaſis continentur, vitioſi quidem ac putreſcere parati, nondum tamen putres, quales quidẽ ſint vrinæ produnt, tum initio febris, tum toto eius decurſu. Initio enim morbi ſpeciem, toto vero morbi proceſſu eius tempora docent. Alia enim tempora aliæ vrinæ oſtendunt: initia qui-

dem & incrementa crudiores, ſtatum vero & inclinationem coctiores. Itaque albæ, tenues, vel craſſæ, aut etiam rubræ, vt in quibuſdam exemplaribus typis excuſis legitur, quotidianarũ ſunt notæ: Albæ quidẽ ac tenues ob pituitæ cruditatem, & ingentem viarũ obſtructionem apparẽt: Turbulentæ ac craſſæ, cum iam natura cõcoctionem auſpicata eſt, aut craſſa pituita excernitur: Rubræ vero, vbi per imbecillitatem iecoris ac venarum ſerum ac rubra ſanies vnà cum vrina emittitur: qualis in hydrope excerni ſolet. In tertianis autem rufæ aut ſubrufæ apparent, ob admiſtam flauam bilem: In quartanis nunc ſubrufæ, nunc albæ, ſed ſemper tenues ac crudæ. Nam vt bilis atra à diuerſis fit humoribus, ſic & febres quæ ab hac naſcuntur, diuerſas eſſe oportet. quæ enim à flaua bile retorrida fit, cum rigore incipit vehementiore, & flauiores habet vrinas, quàm quæ à craſſo ſanguine deuſto.

FEBRES autem aſsiduas ex eo quidem maxime cognoſces, quòd nullum ex iis ſignum habeant, quæ debere in eſſe intermittentibus docuimus, & ſi intra quatuor & viginti horas non deſinant, quæ ſi inæquale habuerint incrementum, præter alias notas maiorem temporis diuturnitatem prænunciant: atque adeo ſi & quod proprium eſt febrium, euidens in pulſibus ſignũ obtineant.

At

At ſi neque ordinem, neque æqualitatẽ, neque numeros ſeruent, argumentum erit tũ earum magnitudinis, tum quòd ex genere intermittentium nõ ſint. Quòd ſi tales permaneant, & tertio die acceſsio maior, aluíque excrementa, & vrinæ omnino crudæ appareant, non poſſunt ſeptimo eiuſmodi febres iudicari. Si vero dies quartus tertio ſimilis videatur, & febris velut langueat, nec facies, nec vniuerſa corporis habitudo, concidat, in longum tempus hoc febris genus protrahi ſolet. Atque hæ quidem ſunt febrium differentiæ, quæ accidentibus carent.

Signa alia alijs febribus intermittentibus inſunt: tertianis quidem rigor & ſudor, quotidianis frigus, quartanis horror & ſudor: quæ ſi in aliqua febre putri non appareant, hanc continuam eſſe certum eſt. quòd ſi inæquale habuerit incrementum, non modo aſsiduam eſſe, ſed & fore longam, iudicare poteris. Inæquale incremẽtum apparet, cum corpus modo calidius, modo frigidius ſentitur: quod fit ſtomacho, vel alia ſenſili parte affecta. Nam externæ partes vrgente dolore, calorémque intrò reuocante, frigent: qui dum mitigatur, foras calor reſilit, calfacitq́; externas partes: atque ſic alternatim corpus caleſcit ac inalgeſcit. Accidit & ex humorum varietate in venis putreſcentium, in quibuſdam nõ

intermittentibus febribus, non ſimplicibus, ſed ſpurijs, teſtaturq́; earum diuturnitatem: tum quia ex crudis humoribus, vnà cum alijs permiſtis ortum eiuſmodi febres habeant, tum quia natura paruo tempore multos, variosq́; affectus euincere non poßit, vt Galenus ait. Quòd ſi cum hac incrementi inæqualitate pulſus euidens ſit inæqualitas, longitudo febris ſignificatur: vt in qua multitudo, ac contumacia humorum naturam premat. At vero ſi neq; ordinem, neq; æqualitatem, neque numeros pulſus ſeruet: non ſolum continuam, ſed magnam iudicare licebit. Nam tunc vel facultatem oneratam, vel inſtrumentū impeditum, vel vehementer intemperatum eſſe, neceſſe eſt: proindeq́; febrem magnam. Si autem ad tertium vſq; diem tales permaneant, in quo & acceßio maior fiat, vrinæ que omnino crudæ ac alui excrementa appareant, ſeptimo die iudicari eiuſmodi febres non poterunt. Nam ex hypotheſi cum duos dies eadem manſit febris, tertio increuit manētibus magnæ cruditatis ſignis, ſeptimo die integra concoctio apparere non poterit: vt inde iudicium eius finiendæ ſumi poßit. At ſi quartus dies ſimilis tertio videatur, & febris velut ſepulta languidaq́; appareat, neq; facies, neque vniuerſa corporis habitudo concidat, protrahi in longum tempus eiuſmodi febris ſolet. Cum enim corpus nō concidat, & febris quaſi victa marceſcat, indicium eſt materiam reſo-

lutioni eſſe contumacem, & cauſam reſoluentē, nempe calorem, imbecillam: vnde non ſine ratione febris erit diuturna.

DEINCEPS vero ſingularum curatio tradetur: ac primum quidem intermittentium, deinde continentium, vt vocant, febrium. Ex intermittentibus quidem breuiſsima ſimul & manſuetiſsima, tertiana eſt: longiſsima vero, ſed tuta, quantum in ſe eſt, quartana. Quotidiana vero longa eſt, & periculo non vacat. Itaque victus rationem ſtatim ab initio inſtituemus, vniuerſum morbi tempus conſiderantes. Nam in acutis, & qui ad ſtatum celeriter perueniũt, ſi tenuiter omnino cibare velis, haud magnopere lædes. In longioribus vero, niſi per initia liberalius cibaueris, aut vnà cum morbo hominem necabis, aut intempeſtiue victus ratio mutãda erit: neque enim accedente ſtatu vberior victus quàm prius, ſed contrà, omnium qui per morbum exhiberi debeant tenuiſsimus in id tempus reſeruandus eſt: hoc quidem omnium commune eſt.

Iure ad febrium curationem procedit, vbi earum non ſolum ſpeciem, ſed & magnitudinem, & longitudinem docuit. Primum igitur ab intermittentium curatione tanquam faciliore, au-

ſpicatur. Quarum, cum aliæ longæ, aliæ breues, aliæ tutæ ac ſine periculo, aliæ non ſine periculo ſint, alijs alia viuendi ratio inſtituenda eſt. Tertianis enim, quæ & breuiſsimæ & minime periculoſæ ſunt, tenuior victus adhibetur: quia vires ad finẽ vſq; durare poſſunt. Quartanis & quotidianis liberalior, idq; per initia, quando natura cum morbo minus pugnat, & vires adhuc robuſtæ copioſiorem cibum concoquere poſſunt. Sed vt ad ſtatum morbus proxime accedit, ita cibum maxime circuncidere oportet: eò quidem magis, quò propius ad hunc acceditur: id quod omnibus febribus eſt commune. Quoniam autẽ cum celerius ad ſtatum peruenitur, principium incrementumq; breuiora ſunt, idcirco ſtatim ab initio parcius alendi ſunt, ſcilicet natura iã cum morbo multum colluctante, quem breui ſuperatura eſt. Contrà vbi longum principium & incrementum eſt, liberalius alere oportet: cum vires, niſi ſubueniatur, in tantum tempus durare non poſsint. Tertianas porrò eſſe acutiſsimas, & celeriter ad ſtatum peruenire dicit: quia bilis, quæ has procreat, facilime accenditur, ac alteratur. Eaſdem mitiſsimas vocat, non quòd grauiter non infeſtent (vrgent enim & caloris vehementia, & ſiti, & id genus alijs ſymptomatis) ſed quia omnino vacant periculo, minimeq; malignæ ſunt. Quotidianas autem non ſine periculo eſſe ſcribit, tum quòd longæ ſint, tum quòd acceſſ

acceßiones longas habeant, eaſq; quotidianas, tum quòd habitum corporis refrigerent, ac calorē natiuum extinguant, gignantq; magnum recrementorum in corpore prouentum. Cum enim longas acceßiones habeant, eaſq; omniū minime in integritatem deſinentes, naturæ breuißimū tempus relinquunt, in quo concoctioni contumacium humorū, ac corpori alendo, reſarciēdiſq; viribus, vacet. Quartanæ vero, etſi longißimæ ſunt, quia acceßiones breuiores, puriores & longiore interuallo repetentes habent, minus quàm quotidianæ, periculum adferunt. Minus dixi, quia nonnunquam morbos alios hæ temporis diuturnitate pariunt, parentibus deteriores: vt lienis tumores, hydropas, & alia idgenus mala.

AD hæc vero, quæ intermittentibus propria ſint, conſiderare oportet: velut ſtatim in tertianis(neque enim male ab his auſpicabimur) diſtinguendum in primis eſt, num exquiſita, ac, vt ita dicam, generoſa: an minime exquiſita, ſed velut ſpuria ſit. Tertiana enim exquiſita, ſeptem cum tardiſsime circuitibus iudicatur, minimeque periculoſa eſt. Alteram autem non exquiſitam, aliquādo vidi autumno incipere, & vere deſinere: poſtea, vt par erat, tanto tempore, tum quòd ægrotus imperanti medico non magnopere pareret, nonnihil etiam

delinqueret, tum vero hyemis iniuria male afficeretur, maxime lien intumuit: & hypochondria flatu diſtenta ſunt: tumor quidem decolor cum in facie, tum maxime in cruribus apparuit, adeo vt adoleſcenti timuerimus, & maioribus vti remediis neceſſum fuerit. Itaque hæc febris nihil exquiſitæ tertianæ ſimile habet: quare ab initio diſtingui oportere dico. Nam quantũ natura inter ſe differunt, tantũ victus rationẽ variari æquum eſt. vt autẽ has optime diſtinguas, ſatis mihi fuerit ea recẽſere, quæ adoleſcenti acciderunt: quæ exemplum documentaque tibi futura ſint febrium non exquiſite tertianarum.

Non ſolum quæ communia ſunt intermittentium, ſed & ſingularum propria conſyderanda eſſe docet: quando non omnes tertianæ, aut quartanæ, aut quotidianæ eiuſdem naturæ ſunt. Aliæ enim ex ſyncero ſimpliciq; humore fiunt, ac exquiſitæ vocantur: aliæ non ex ſimplici, ſed miſto, nothæq; ac ſpuriæ dicuntur. Itaq; exquiſita ſimplexq; tertiana eſt, quæ ex ſyncera bile ortum habet, ſeptenos circuitus non excedens: inuadens cum rigore, & in ſudores deſinens, interdum & cum vomitionibus, aut alui deiectionibus bilioſis, alternis diebus repetens. Fit autem æſtate ſecundum naturam habente, hoc eſt calida & ſicca, ſtatu temporis & regione huic ſimilibus, & vict

victus ratione bilioſa, ac pauca, vigilijs, laboribus, mœroribus, temperatura, bilioſa, & id genus alijs, quæ bilem generare ſolent. Quòd autem ſeptem circuitus non excedant, iuſta ratio eſt, quando nec humor, ex quo conſiſtunt, craſſus eſt, aut lentus & tenax, vt in quotidianis, & quartanis, imò nec admodũ copioſus: proinde facile & cito diſcutitur. Natura enim maiorem aliorum humorum molem ſuſtinet, vt qui minus irritent: bilis vero, quia acris eſt, minorem modũ patitur, quiq; ſeptem ad ſummũ circuitibus educi è corpore poſsit. Nam interdum tribus, interdum quatuor, aut quinque acceſsionibus, pro qualitate quantitateq; ſua, educitur.

MEDIVM erat anni tempus inter vergiliarum occaſum, & quod hunc anteceſſerat æquinoctium: in quo adoleſcentem circa ferè ipſam auroram febris cum horrore corripuerat: quæ neque in calore, neque in pulſibus, tertianis ſimilis eſſe videbatur. imò nec vomitus bilioſus ſequutus eſt, nec multus ſudor: poſtridie vero ad horam circiter tertiam paucus exiit mador, cum quo & febris euanuit: ſed adeo ſenſim, vt circa veſperam vix febris expers æger videretur: nimirum relicto tunc in pulſibus euidente admodum febris ſigno. Verum reliqua circa idem tempus, ac per totam

totam noctem, facile omnino æger ferebat. Rurſus vero circa tertij diei auroram, ſecunda acceſsio priori in omnibus, præterquam tempore ſimilis rediit: ſequente enim nocte paulo ante lucem, exhalato vapore febris deceſsit: circa quarti diei auroram, & reliquo toto autumno, ac hyeme, quo tẽpore ægrotauit, tum reliqua omnia, tum acceſsionis & ſolutionis febris tempus, eadem permanſerunt. Adoleſcens autem annos plus minus octodecim natus erat, aſpectu albus, ac pinguis, vitæ deditus otioſiori, priusq́ue crebris tũ crapulis, tum lauationibus vſus, ac ſatietatibus: proinde cibos improbe concoquebat. Acceſsit vero & huic pulſus durities, mediocris quidem in primo & ſecundo die, in tertio vero & quarto, & ſequentibus vſque ad ſeptimum, ad tantam peruenit duritiem, vt ſi quis ſoli pulſui crediddiſſet, multorum eſſe menſium ægritudinẽ putaſſet: ac talis permanſit vſque ad vernum æquinoctium: in quo primum molleſcere cœpit. Poſtea rurſus quadrageſimo die ab hac tertiana prorſus liberatus eſt, paulatim pulſu emolleſcente, & acceſsione decreſcente, vrinisq́ue probum quod deſidet habentibus, quæ prius vehementer crudæ omnes erant. hæc quidem certe maxima contraria eſt exqui-
ſitæ

ſitæ tertianæ.

Vergiliæ ſeptem ſtellæ ſunt in Tauri dorſo poſitæ: quæ medio vere cum ſole oriuntur, Græci Pleiadas dicunt: eædem medio autumno, cum ſol eſt in Scorpio, occidunt: hoc eſt ab æquinoctio autumnali diebus ferè quinquaginta, vt Galenus docet in cõmentario primo περὶ ἐπιδημιῶν: *eſt enim Scorpius Tauro, in quo ipſæ ſunt, ex adverſo locatus. Proclus tantum ſex eſſe putauit, quòd ſeptima vix conſpici poßit. Cum igitur ſol cum Scorpio oritur, oppoſitus Taurus occidit cũ Pleiadibus. Aequinoctium vero, quod antecedit hunc occaſum, eſt cum ſol in primo Libræ gradu exiſtit: quo tempore ex æſtate antecedente, relicta in ægroto bilis erat. Præterea ægrotus, adoleſcens erat, quæ ætas gignendis id genus febribus idonea eſt: reliquæ vero cauſæ de quibus mox differetur, ad procreandam pituitam erant efficaciores. Cœperat igitur adoleſcens cũ horrore, nõ rigore febricitare. Nam rigor ex ſyncera flaua bile, vt dictum eſt, fit: horror ex atra aut flaua impura. Itaq; horror hic exquiſitæ tertianæ non eſt index ſed ſpuriæ, quæ ex admiſtione pituitæ naſcitur. Porrò calor exquiſitæ tertianæ, maximus acerrimusq́; eſt. Pulſus vero maximi, celerrimi & creberrimi, quales in hac ſpuria viſi non fuerunt, in qua nec vomitus bilioſus ſecutus eſt, nec ſudor multus: quæ exquiſitæ tertianæ peculiaria ſunt. Verùm poſtridie hora circiter*

citer tertia paucus exhalauit vapor, cum quo & febris diſcuſſa eſt: ſed ita remiſſe, vt circa veſperam vix à febre liberatus eſſe videretur: quo ab exquiſita tertiana maxime differt, in qua ſudor copioſus ad integritatem perducit. In ſpuria materiæ lentor non affatim, ſed paulatim reſoluitur: adeo vt ſenſum effugiat. Cæterum reliquiæ quædam remanſerunt: quæ integre febrem decedere non permiſerũt. Itaq; mirum non eſt, ſi poſt vaporem à febre liberatus integre æger eſſe non eſt viſus: cum adhuc in pulſibus febris euidẽs nota, nempe pulſus inæqualitas, ob materiæ reliquias, remanſerit. Reliqua autem febris incommoda facile æger eodem tempore, & per totam noctem, ferebat: ſcilicet vnà cum febre remiſſa. Rurſus vero circa tertij diei aurorã redijt acceſſio, priori omnino, præterquam tempore, ſimilis: ſequente enim nocte paulo ante lucem diſcuſſus eſt vapor: febriſq; deceßit circa quarti diei auroram. Quòd ſecunda acceßio ſimilis omnino priori eſſet, id eſt cum ſimilibus calore, horrore, & pulſibus, hoc ideo erat, quòd ſimilis omnino materia vtramq; acceßionem pepererat: verũ diuturnior fuit ſecunda, quòd maior materiæ copia quæ hanc genuit, computruerat. ferè enim fit, vt prima acceßio breuior ſit, vt in qua cruda materia ægrius accendatur. In reliquis vero materia ad incendiũ à prioribus præparatur, atq; ita augeri ſolent acceßiones vſq; ad ſtatũ. Prima enim

acceß

acceſsio circa auroram incepit : hoc eſt ſecundum noſtram ſupputationem, circa horam ſextam matutinam.(Eſt autem aurora tempus ante ſolis ortum,quo cœlum ſplendeſcere incipit)Et deſijt ſequẽtis diei hora circiter tertia. Itaq; ea acceſsio fuit horarũ fere vnius & viginti:ſecunda acceſsio viginti quatuor,vt quæ circa diei aurorã inceperit, & eadẽ quarti diei aurora deſierit. Adoleſcens natus erat annos circiter octodecim. Dicebamus modo tempus & ætatem, bilem in propoſito ægroto generaſſe : pituitam vero omnes propemodum alias cauſas:nempe temperaturam,habitudinem corporis, victus rationem antecedentem. Cum igitur cauſæ quæ pituitam genuerunt,& plures numero,& efficaciores fuerint,mirum non eſt,ſi longiſsima hæc febris fuerit, longiſsimaſq; habuerit acceſsiones : vt quæ ex copia crudorum humorum ortum habuerit: quod & pulſus durities planè indicabat, quam plenitudo attulit. Quemadmodum enim veſica flatu plena,& vter liquore,prementi digito non cedunt,duraq; apparent:ſic arteria plena, aut humore,aut flatu,aut vapore,durum efficit pulſum. Mediocris igitur primo & ſecundo die durities apparuit:quia nondum ex humore vapor, ac flatus multus excitatus fuerat:à tertio vero vſq; ad ſeptimum adeo hæc aucta eſt, vt videretur morbus multorũ mẽſium : id eſt vt viderentur arteriæ, ob morbi longitudinem reſiccatæ.

ac induratæ. Perſeuerauit autem hæc durities vſq; ad æquinoctiũ vernũ: ſcilicet materia quæ arterias implebat, non decreſcente. A' verno autem æquinoctio vſq; ad quadrageſimum diem ſequentem, in quo febris ſoluta eſt, emollitus eſt pulſus, nimirũ materia decreſcente: unde & acceſsiones breuiores factæ ſunt, & concoctiores vrinæ: quæ prius crudæ admodum apparuerant, ob materiæ & copiam & cruditatem.

RELIQVAS vero omnes intermedias quæ permultæ ſunt, ex definitis extremis haud difficile inuenies. Si enim, quæ initio commentationis ſcripſimus, tertianarum ſigna omnia adfuerint, exquiſitam tertianam eſſe teſtabuntur, cuius acceſsionis tempus, breuiſsimum quidem omnino quatuor, aut quinque, aut ſex horarum eſt: longiſsimum vero, vndecim aut duodecim. Atque etiam harũ vrinæ tertio aut omnino quarto die, concoctionis indicium oſtendunt. His igitur notis abſoluta tertiana & ſpuria dignoſcuntur. Ad hunc vero modum, quartana & quotidiana diſtinguũtur. Cui enim omnia inſunt ſigna, quæ prius in febribus quartanis ſcripſimus, germana exactaq; quartana eſt. Sin minus, ſpuria minimeq; exquiſita. Et ex quotidianis legitima quidem eſt, cui omnia, quæ diximus, inſunt: quæ ſi non adſint, exquiſita non

non eſt. Itaque febres ſpuriæ non tam longæ ſunt, quàm quartana & quotidiana. Sed quemadmodum tertiana præceps eſt, ſic quartana & quotidiana diuturnæ. Hęc quidem in his quæ circuitu repetunt, conſideranda ſunt.

Duo tertianæ febris extrema conſtituta ſunt: nempe exquiſita, & ſumme ſpuria. Exquiſita quidem breuiſſima eſt, breuiſſimasq́; habet acceſſiones. Notha vero huic maxime oppoſita, longiſſima eſt, longiſſimasq́; habet acceſſiones: vt ex antè dictis liquere poteſt. Inter hæc febrium extrema innumerabiles penè notæ tertianæ poſitæ ſunt, ſola maioris & minoris ratione diſcrepantes: quarum quæ ad exquiſitam magis deflectunt, breuiores ſunt, breuioresq́; habent acceſſiones. Contrà vero, quæ ad maxime notham propius accedunt, longiores ſunt, ac longioribus conſtant acceſſionibus. Facile itaque conſtitutis his terminis, ſingularū quæ in medio collocatæ ſunt, naturæ cognoſci poterunt. Porrò autem extrema hæc definiuntur: tertiana quidem exquiſita, dicta iam breuitate, & paucitate acceſſionum: item caloris acrimonia, & magnitudine, rigore, vomitu bilioſo, & ſudoribus. Summe vero ſpuria longitudine & multitudine acceſſionū, cruditate, & cæteris quæ modo declarata ſunt. Ad eundem modum quartana & quotidiana, tum generoſæ, tum ſpuriæ ſuis notis diſtinctæ ſunt, vt

ex antè dictis videre eſt. At quartana & quotidiana ſuis ſpurijs ſunt lõgiores: quòd quartana ex craſſo, quotidiana ex viſcoſo humore, vtroq; ſyncero, & qui ægre diſcutiatur, conſtat. Vtraq; vero ſpuria admiſtam habet bilem, quæ quo copioſior eſt, eo breuiorem reddit febrem, breuioresq́; eius acceſſiones. Contrarium vero tertianis accidit: nam exquiſita breuiſſima eſt: nothæ vero eius, eo quidem longiores ſunt, quo ab exquiſita magis recedunt. Cum igitur propoſita tertiana ſumme notha ex pauca bile, magna vero pituitæ vi fiat, longiſſima eſt, longiſſimasq́; habet acceſſiones: ita vt exquiſitas quotidianas ferè lõgitudine æquet. Sed quemadmodũ tertiana acuta eſt, ita quartana & quotidiana longæ. Tertiana enim exquiſita ex humore tenuiſſimo, & qui facile diſcutitur, ortum habet. Quartana vero & quotidiana, vt iam diximus, ex craſſo & viſcoſo humore.

IN aliis vero febribus vrinas, alui excrementa, & vniuerſam corporis habitudinem, inſpicere oportet: calorem quoque, & arteriarum motum. Ad hæc alia quæcunq; Hippocrates longaque experientia contemplanda eſſe iubent, nempe regiones, anni tempora, aëris conſtitutiones, ætates, & temperaturas corporum, conſuetudines, & antecedentes cauſas, quæq; vnà cum morbis inua

inuadunt, quæq́; medio tempore apparent.

Diſtincta ſunt ac determinata febriũ intermittentium extrema, longitudine, breuitate, & numero acceſsionum, rigore, vomitione, & ſudoribus: quæ quia aſsiduis febribus non inſunt, aliæ notæ quærendæ ſunt, quibus exquiſitas à ſpurijs diſtinguamus: eas autem nobis oſtendunt vrinæ, alui excrementa, corporis habitudo, calor, pulſus, regio, anni tempus, aëris cõſtitutio, ægrotantis natura, ætas, conſuetudo, & cauſæ, quæ febrem attulerunt: vt exercitatio, otium, victus ratio, uigiliæ, ſomnus, curæ, animi ſecuritas, & id genus alia, quæ uim habent gignendæ febris aliæ aliam. Ea quoque quæ vnà cum morbo naſcuntur, aut in medio apparent: cuiuſmodi ſunt dolor vigiliæ, inquietudo, ſitis, cibi faſtidium, nauſea, uomitus, delirium, & alia permulta. Vrinæ, uerbi gratia, & alui excrementa flaua, temperatura bilioſa, habitudo corporis extenuata & hirta, ætatis uigor, caloris acrimonia, pulſus maximi, velociſsimi, creberrimi, regio & aëris conſtitutio calida & ſicca, anni tempus, æſtas, conſuetudo, vitæ genus, quæ bilem gignere idonea ſint: cibus item paucus ac bilioſus, vigiliæ, curæ pertinaces, delirium & ſimilia febrem aſsiduam, exquiſitéq; bilioſam eſſe & quæ accuratæ tertianæ proportione reſpondeat indicant. Horum vero contraria contrariam febrem, nempe exquiſite pituitoſam fatentur. Eodem modo in-

ſtam quartanam aßiduam oſtēdunt excrementa nigra, natura corporis melancholica, habitudo ſupra modum extenuata, nigra, hirta, calor paucus & acriuſculus, pulſus rarus, & tardus, regio, & aëris conſtitutio inæqualis, autumnus, inclinans ætas, & alia id genus, quæ in quartana declarauimus. Igitur ſumme ſpuriæ aßiduæ ſunt, quæ maxime à legitimis ſui generis recedunt: velut ſpuria bilioſa ab exquiſita maxime diſtat. Inter hæc duo extrema multæ bilioſæ ſpuriæ conſtitutæ ſunt: quemadmodum de tertianis diximus.

OMNIA quidem, vt cuipiam videri poſſet, monita ſunt, ſed re vera haud ita res habet, quando quod maximum horum omnium eſt, dictu autem breuiſsimum, nondũ explicatum eſt. Quid vero hoc eſt? Morbi, & virium quantitas: res quidẽ, quæ verbo vno explicari poſsit, ad vſum maxima eſt. Neque enim bene prænoſcere poteris, niſi horum cuiuſque quantitate diligenter explorata. Non enim an morbus letalis ſit nécne, nec quando vel mori, vel à morbo vindicari potius homo debeat, niſi omniũ, quæ diximus, quantitatem diligentius contemplatus, in duo redegeris capita, nimirum in morbum ipſum, & laborantis vires, præſcire recte poteris. Nam, ſi vires adeo validæ ſint, vt morbum euincant, neceſſa-

rio ſanitati homo reſtituetur. Sin contrà, omnino morietur. Non igitur ſolum cuiúſnam ſit generis morbus, ſed & quantus ipſe ſit, inſpiciendum eſt. Hoc autem non parua eget meditatione atque peritia, cum propter alia, tum quòd nec ſcribi, nec verbis explicari vllo modo eorum cuiuſque quantitas poteſt. Si quid igitur noſtrum eſt, id nō tam ex alia re vlla, quàm ex crebra coniiciendę quantitatis exercitatione percipitur, quod ex operibus & diſcere & docere poſſis. Quæ vero qualitate diſtinguuntur, diligenter ſimul ac dilucide, quàm breuiſsime fieri poterit, ſcribemus.

Quantitatis morbi appellatione, tū eius longitudinem, tum magnitudinem ac vehementiā, & virium nomine tum laborantis ipſius robur, tum in debellandum morbum durationem, intelligere videtur, vt ex eius verbis conſtat. Nā cum inquit, non enim an morbus letalis ſit, nec ne &c. morbi magnitudinem, & vehementiam, & laborantis robur ſubindicat. Cum verò ait, nec quando vel mori, vel à morbo vindicari debeat, morbi longitudinem, & virium durationem eum dicere perſpicuum eſt. Longitudinem autem morbi veſtigare oportet, vrinæ & aliorum excrementorum cruditate & coctione, febris motu, pulſus & incrementi æqualitate, ac

inæqualitate. Nam ſi primis ſtatim diebus excre menta cocta appareant, febris celeriter moueatur, pulſus inæqualitas magna non ſit, nec inæquale incrementum, febris longa eſſe non poterit. Sin cruda ſint excrementa, febris velut langueat, tardeq́; moueatur, lenta in ore ſit pituita, corpus non concidat, pulſus & incrementi magna ſit inæqualitas, morbus longus erit. Magnitudinem vero ac vehementiam eius oſtendunt, febris mores & ſymptomatum magnitudo, ac multitudo: qualia ſunt, ſitis, linguæ aſperitas, dolor, vigiliæ, inquietudo, cibi faſtidium, animi deliquium, nauſea, & id genus alia: quæ ſi vel omnia vel præcipua adſint, magnā vehementemq́; eſſe febrem planè teſtantur. Circa hæc igitur diu verſari homo debet, ſi recte morbi quantitatem cognoſcere velit. Robur vero facultatis ſuis functionibus metiemur: animalis quidem motu, ſenſu & cogitatione. Nam ſi æger in latus vel dextrum vel ſiniſtrum cubet, manus, ceruicem, & crura paulum reducat, atq;, vt ſemel dicam, ritu ſanorum iaceat, reſpiret, ac dormiat, ſentiat ac ſapiat, vt per ſanitatem ſolebat, animalē virtutem conſtare certum eſt. Sin ſupinus iaceat manibus, cruribusq́; extentis, delabatur ad pedes, peruigilet, lumen refugiat, ſimulacra videat, deſipiat, imbecillam eandem vim eſſe conſtat. Sic pulſus magnus, vehemens, altus, robur vitalis facultatis nuntiat, contrà paruus, languidus,

ctus, inordinatus, vermicularis, formicans, imbecillam. Eodem modo naturalem vim valere teſtatur proba cibi concoctio, & ſuperflui excretio: imbecillam vero eſſe, cruditas, corruptio ac putredo, tum cibi, tum humorum, immodica excretio aut retentio: in his igitur aſsidue, diligenterque exerceri debet, quiſquis certam quantitatis morbi, & virium coniecturam aſſequi cupit.

EXQVISITAM autem tertianã, vt in qua concitata bilis flaua dominetur, quoad fieri maxime poteſt, humectare ac refrigerare oportet. Nam contrariorum contraria ſunt remedia: quæ quod ſuperat, reprimant: quod autem deeſt, ſarciant. Flauæ autem bilis humor omnium qui in corpore ſunt humorum, calidiſsimus ac ſicciſsimus eſt, itaque exinaniendus eſt: vomitu quidem, ſi ad ventrem repit: pari modo per aluum, ſi deorſum fertur. quod & ſponte iuſtis tertianis accidit. Per vrinas quoque & ſudores exigere oportet: ſed commode per inferna repurgatur. At mollibus clyſteribus venter ſubducendus eſt: vrinæ vero, potionibus ijs, in quibus maduerit apium & anethum, prouocandæ. Et ſi coctionis notæ apparuerint, iam cum fiducia abſinthium dabis: quod alioqui ſtomacho quem erodens bilis infeſtat, ſum-

mum remedium eſt : præſertim, ſi eius comæ, quantum vſus efflagitat, in aqua mulſa maceraris. Sed & balnea calida ex aqua potabili proſunt : tum quòd bilis aliquid educunt, tum quòd ſua qualitate mirifice iuuant : ea enim huiuſmodi omnia humectant, & facultate refrigerant. Marina vero, ſalſa, nitroſa & ſulphuroſa plus quidem bilis exigunt, verum minus quàm ex aqua dulci vtilia ſunt : præſtat vero nec ea vtilia dicere, quando plus ſua qualitate lædunt, quàm vacuando proſunt. Equidem noui quendam, qui falſo adductus iudicio hiſce balneis vſus eſt, ac deinde reſiccato corporis habitu, eò venit exitij, vt tabe interierit. Reliqua autem victus ratio illi bilis vacuationem adaugebat. At cõtraria qualitas qualitati præter naturam excedenti, perpetuo obiicienda eſt : tanquam id longe commodius ſit, quàm quouis modo vacuare: verum ipſe nec hoc nouerat, neque ex aliis didicerat. In balneis igitur hoc præcipue conſideretur, vt corpus abluatur ac humeſcat, proinde neque nitrum, neque ſal, neque ſinapis inſpargenda ſunt : id quod factitare plurimos videre licet, ægrotos enecantes. Vbi autem calente oleo plurimum perfuderis, in aquam ducere ac proluere oportet : & ſi in ea natare velint, iis

quan

quantum poſſunt permittendum eſt. Qui vero balneis delectantur, neq; ſi bis die lauare velis, peccabis: ſed præcipue in memoria habeto, vt id opportune fiat. Nam ſi coctionis morbi ſignis apparentibus frequentius laueris, non erraueris. A vino verò, antequam morbus concoquatur, prorſus arcendi ſunt: vbi autem coctionis initium habuerit, paucum, tenue & dilutum, initio dandum eſt: liberalius vero, vbi in propinquo morbi ſolutio eſt. Cibus autem frigidus & humidus omnis iuſtis tertianis confert. Tantus autem dari debet, quantus optime concoqui poſsit. Ex oleribus quidem atriplex, blitum, rumex, malua, lactuca, & cucurbita. Ex aliis autem cremor ptiſanæ, ſorbitio ex alica. Ex piſcibus vero ſaxatiles. Ex auibus, quæ molli ſunt carne: & ex minime talibus alæ: gallorum quoque teſticuli, & ſuum pedes, & cerebella danda ſunt: iuniorumque porcellorum ſi illiquefactas coctura carnes præbueris, nihil offendes. Sed & oua ſorbilia permittuntur, & maxime eorum lutea: vt quæ quàm album facilius coquantur. Ex fructuum autem genere ij guſtari conceduntur, qui omnino coctu difficiles non ſint. melle vero, ſinapi, ſalſamentis, & omnibus acribus prohibere oportet: & vinis admodum ve-

tuſtis, naturaq́; calidis. Hæc quidem victus ratio eſto multorum, ad coniecturam tibi tradita, & expoſita. Qui vero molliter non educãtur, iis victus inſtituendus eſt, qualem me aliquando in exquiſita tertiana ex Hippocratis ſententia dare vidiſti: nempe ptiſanæ cremorem, vſq; ad febris iudicium. hæc quidem in exquiſitis tertianis ſeruãda ſunt.

Exquiſita febris tertiana, vt quæ ex ſyncera bile conſtat, calidiſsima ac ſicciſsima eſt: ideo per illud primum principium, Contrariorum contraria ſunt remedia, maximè refrigerari ac humectari deſiderat: vt quod infeſtat, arceatur: quod autem deficit, ſarciatur: hoc eſt, vt ſuperuacaneus calor, & ſiccitas abigatur: deficiens humiditas, & frigiditas inducatur. Refrigerari autẽ ac humectari poteſt, tũ per ſe, immiſsis qualitatibus contrarijs, tum ex accidente: ſummota quæ calfacit cauſa. Frigiditatem & humiditatem ſuggerunt, tum quæ foris admouentur, tum quæ intrò ſumuntur. Foris admouentur balneæ dulcis aquæ, & medicamenta frigida & humida: quale eſt ceratum Galeni: intrò ſumuntur, cibus, potus & aër inſpiratus. Itaque in exquiſitis tertianis vtiliter adhibentur atriplex, blitum, lactuca, rumex, malua, & id genus olera, quæ etſi malum generant ſuccum, quia tamen refrigerant, & humectant, exquiſitis tertianis conueniunt:

ueniũt:quemadmodum & fructus mollioris corticis:quos Græci oporas, Latini poma appellant, modo facilè concoquantur, qualia ſunt ceraſa, pruna, mora. Inter olera tamen lactuca ſuc cum minus malum gignit:poſt hanc malua:poſtquam atriplex, blitum & rumex. Cucurbita autem ex fructibus quos Græci ὡραίους vocant, damnanda,inquit Galenus,non eſt:ſed ſi cruda eſtur,inſuauis eſt,& ſtomacho pernicioſa. Refrigerat item & humectat ptiſanæ cremor, ſorbitio ex alica. Saxatiles piſces præter id quod refri gerant & humectant, boni ſunt ſucci, ac facile concoquuntur:aues vero mollioris carnis, quales ſunt gallinacei,perdices,columbæ, & paſſeres iuniores,phaſiani, & ſimiles facile concoquuntur, & bonum ſuccum gignũt, miniméq; febrem augent. Quòd ſi tales non inueniantur,aliarum alæ, quæ ob exercitationem excrementis vagant. Et gallorum gallinaceorum teſticuli:qui ſoli,inquit Galenus, commendantur: aliorum ferè omnium teſtes vitioſum ſuccum generant,& ægre concoquuntur. Pedes ſuilli excrementis vacant,quia exercitati. Cerebrum vero ſi rite coquatur,probe alit:alioqui craſſum ſuccum ac ſuperuacuum gignit,maleq́; à ſtomacho conficitur. Quemadmodum porcellorum carnes, niſi coctura diſtabuerint, confici à ſtomacho facile nõ poſſunt, præterea ſuccum glutinoſum, muccoſumq́; generant. Oua gallinarum recentia,ſorbilia, id

eſt quæ

eſt quæ tantummodo incaleſcunt, facilime concoquuntur, præſertim eorum lutea: ea enim mediocriter refrigerant, vt teſtis eſt Galenus & Paulus. A melle verò, vt quod in bilem facile vertatur, ſinapi, ſalſamētis, & omnibus ſuccum acrem gignentibus, abſtinēdum eſt: et à vinis vetuſtis naturaq; calidis: quia febrem augent. Hæc quidem victus ratio multorum eſt, non quidem omnium. Nam qui duram vitam agunt, robuſtiq; ſunt, ſolo ptiſanæ cremore ad morbi vſq; iudiciū contenti ſunt: cum ad id vſq; tempus vires ſufficere valeant, & hi tenuem victū ferre poſſint. In potu vero aqua frigida dāda eſt: quæ et ſi perpetuo conuenit tertianæ, non tamen perpetuo adhibenda eſt: ſed tantum vbi ſigna coctionis apparent. Aër frigidus & humidus, ſi fieri poteſt, omnino inſpiretur: rectà enim ad pulmonem, à quo ſtatim ad cor, vbi potiſſimum calor vrget, fertur: corq; tum qualitate, tum ſubſtantia refrigerat, ac humectat ſine vllo corporis incommodo: neq; enim cutis meatus claudit: proinde nec perſpirationem impedit. Aeger igitur in domibus collocandus eſt frigidis, ac perflatis, verſisq; ad arctum: quales ſi nanciſci non poſſimus, aër arte refrigerandus eſt, aqua pergelida de vaſis in vaſa transfuſa, vel aſsidue domo aſperſa, roſisq; vel vitium pampinis, vel ſtirpibus vim refrigerādi habētibus, humi fuſis. Talis enim aër ſi inſpiretur vt dixi, cor commodiſsime refrigerabit.

Si ve

Si vero extrinſecus corpori accedit, lædit cutem denſando, ac ſtringẽdo: ſed minor eſt noxa, quàm ex inſpiratu vtilitas: præſertim cum, vt Galenus ait, cutem operimentis calfacere poſsis. Arcendæ quoq; turba à domo eſt, vt quæ halitu calfaciat. Poſsũt vero, vbi calor vehemẽter vrget, refrigerantia medicamẽta, quale eſt ceratũ Galeni, & herbarum ſucci, aliaq; id genus medicamenta, foris admoueri, ei preſertim parti, quæ plurimũ incaluerit: vt per has febres ſolet os ventris, pectus & hypochondria. Balnea autem dulcis aquæ calida duplici nomine proſunt: tum quòd foris materiam febris euocent, tum quòd ſua qualitate corpus humectent, & refrigerent: quod maxime tertiana exquiſita expoſcit. Refrigerant quidẽ potentia, ſcilicet immiſſo intrò madore calido, deinde ſpatio temporis ad natiuam frigiditatem redacto. Summouetur autem cauſa quæ febrem attulit, vacuationibus: vomitione quidẽ ſi ad ſtomachum bilis confluat: per aluum, ſi deorſum vergat. Quò enim natura vergit, eò ducere oportet. Vomitiones vero eliciuntur maxime acceſsionis initio, vt autor eſt Galenus libro cui titulus eſt, Quóſnam purgare oportet, quibus medicamentis & quando. Nam eo tempore natura illuc bilem protrudere ſolet: quemadmodũ in remiſsione ad infernas partes, aut ad cutem. Igitur per id tempus indendi ſunt clyſteres molles, tum quòd facile bilis educatur, tum quòd eius acri

ius acrimonia, quæ inteſtina mordet, clyſteris lenitate frangatur. Molles enim vocat Galenus, qui ab acribus diſtinguntur, non vt vulgus putat remollientes. Per vrinas, quoq; & ſudores bilis exigenda eſt: præſertim ſi illuc natura feratur: quod probe fiet medicamentis, quæ vrinam cient, non omnibus, ſed quæ citra exiccationem id præſtare poßint: vt eſt, anethum & apium. Quare abſinthium non tutò ante concoctionis ſigna exhibendum eſt, vt quod nimis ſiccet, & aſtringat. Bilem verò ex ventre per aluum purgat, ex venis vero per vrinas: vim enim etiã detergẽdi obtinet. Eadem ratione balnea ex aquis marinis, ſalſis, nitroſis, & ſulphuroſis, vitanda ſunt: quòd exiccando plus obſint, quàm vacuando proſint. Contraria vero qualitas qualitati, quæ præter naturam excedit, perpetuo obiicienda eſt: tanquam id longe commodius ſit, quàm quouis modo vacuare. Ex quibus verbis liquet parum Galeno placere vacuationes: maximeq; eam, quæ ſanguinis mißione fit, & quæ vehemẽter purgante medicamento: cum id genus purgãtia omnia ſint facultate calida. Hæc autem febris calidißima omnium eſt: ideo potius refrigerari ac humectari deſyderat, quàm vehementer purgari. Alias autem vacuationes magis permittere videtur: præſertim vbi humorem natura expellere tentat, aut ad ventrem, aut inferنas partes, aut per vrinas, aut ſudores. Iuuanda

enim

enim natura eſt, vbi ex ſe ſola opus perficere non poteſt: idq́; quoad fieri poterit, lenibus medicamentis, qualia ſunt quæ prius expoſuimus. Quòd autem ſanguinis miſsio ac vehemens purgatio neceſſaria non ſit, vel ex eo conſtat, quòd qui exquiſita tertiana laborat, pauci ſanguinis, eiusq́; bilioſi eſt: ideo potius refrigerari & humectari, quàm vacuari debet. Adde quòd æger calidus & ſiccus eſt: labores, & aliæ cauſæ calfacientes, ſiccanteſq́; præceſſerunt, vti prius monſtratum eſt. Commode autem vacuatur bilis inſenſili tranſpiratione, vel vomitione, vel ſudoribus & vrinis, quò ſcilicet natura hanc impulerit: quod cum per ſe perficere non poteſt, tunc medicamentis eam iuuamus, vti prius dictum eſt. Commodiſsima autem ea vacuatio eſt, quæ per aluum fit, quòd minori tum moleſtia, tum periculo per eam partem educitur. Vomitus enim moleſtus eſt, & ſudores non ſine obſtructionis periculo ante coctionis ſigna euocari poſſunt: quemadmodum nec vrinæ eijci: molles vero clyſteres neque periculum augendæ febris, neq; moleſtiam ægroto adferunt.

MAXIME vero in his, quæ exquiſitæ non ſunt, tertianis, quoad fieri poteſt, proſpiciendum eſt ne morbus increſcat, deiicianturque vires, quas conflictare diutius oportet: vtrũque enim tenere difficile eſt: quòd inedia, quantum ad morbi coctio-

nem

nem prodeſt, tantum vel plus etiam vires offendit: cibi vero, quantum ad ægrotantis vires conferunt, tantum coctionem impediunt. Sed & hic noſcendum eſt, ad quam magnitudinem morbus peruenturus ſit, & quantum laborantis vires ſint duraturæ: vt ea perſpiciendo, quæ maiori auxilio egent, cibi abſtinentia quidem, vbi valentiores ſunt vires; & morbus coctu difficilis, confidentius vtaris: vbi vero imbecillior virtus, & morbus non omnino coctioni contumax eſt, largiori cibo. hæc quidem & in omnibus aliis morbis conſideranda ſunt. Neque vero ſtatim per initia in ſpuriis lauare ſalubre eſt: ſed vbi primum coctionis ſigna apparuerint. Neque quotidie cibare oportet: ſed alternis diebus abunde fuerit. Quies autem, & præcordiorum fotus iuuat, & ſorbitiones, quæ facilem admittant coctionem. Clyſteres quoque non admodum molles aluo indantur. Quòd ſi ſanguinis miſsione opus ſit, neque ea omittenda eſt, ſed initio ſtatim, diſtinctis iis, quas noſti, rebus, tantum detrahes, quantum ſatis eſſe in præſentia videatur. Tota vero ratio victus ſit, non quæ vt in exquiſita tertiana, refrigeret, & humectet: ſed quæ vim aliquam incidendi, & calfaciendi aſſumat. His igitur maxime prodeſt

deſt ptiſanæ ſuccus, cui iniectum piper ſit: aut nonnunquam etiam hyſſopũ, & origanum, & nardi ſpicam in aquã mulſam iniecta, & ſimul cocta potui dato, aliaque quæ ciendæ vrinæ vim habent, niſi ea vehementer calfaciant, exiccentque: Frequentiſsime vero abſinthij coma, maxime poſt ſeptimũ diem danda eſt. mulſum acetũ etiam multis in potu profuit: & aliquod ex iis quæ blãdè purgant, quibus nos ſæpe vti vidiſti. Vomitus autem poſt cibũ adeo ſanè vtilis eſt illis quibus hæc febris inueterauerit, vt multos norim ſtatim poſt vomitiones à febre prorſus eſſe liberatos.

Vt morbi & virium quantitatem difficile eſt inuenire, ſic maximum ad curationem habet momentum: niſi enim hanc nouerimus, neq; victus rationem præſcribere, neque conuenientia medicamenta inſtituere poterimus. Aliã enim longus morbus, aliam breuis, tum viuendi, tum medendi rationem, deſiderat: quemadmodum virtutis robur aliam, aliã eius imbecillitas. Itaque quantitas horum cognoſcenda eſt, vt recte tum medicamenta. tum victus inſtitui poſsit. In qua re ſi delinquimus, morbum augemus, & vires demolimur. Niſi enim oportune medicamentum adhibeatur, naturam reddit imbecilliorem. Quemadmodum incommode imperata inedia

viribus obeſt: quia ſubſtantiam corporis demolitur. Verum concoquendæ morbi materiæ prodeſt. Cibus vero robur quidem auget: ſed morbi concoctionem remoratur. Augetur enim vires, aut quia naturæ ſubſtãtia reparatur, aut quia ad ſuam temperiem reducitur: reparatur autem, ſpiritus quidem aëre, humor potu, & ſolida ſubſtantia cibo. Igitur in febre, cum præcipue ſpiritus & humor reſoluātur, hos reſarcire oportet: ſpiritum quidem aëris inſpiratu, humorem victu humido, qui febribus omnibus perpetuo confert, tum ſubſtantiæ, tum qualitatis ratione. Itaq; ſorbitiones coctu faciles, quales ſunt ex alica, & ptiſana, vtiles ſunt. Reducitur natura ad ſuam temperiẽ per contrarias qualitates. Vbi igitur vires robuſtæ ſunt, & morbus coctioni contumax eſt, audacter inedia imperanda eſt: quoniam virium demolitio non timetur, & materia morbi contumacia maxime concoquitur. Vbi vero imbecilliores ſunt, affectus vero non admodum coctioni reluctatur, liberalius æger eſt cibandus, quando vires reſarciri poſtulant. Reſarciuntur autem, vt dixi, cibo: Et morbus cũ facile concoqui poßit, haud ita inediam requirit. Quomodo autem virium & morbi quantitas inueniri poßit, ſuprà expoſitum eſt: quemadmodum & ſpuriarum tertianarum diſcrimina. Nã quaſdam maxime eſſe tales diximus, quaſdam minus: ſed ad exquiſitam tertianam alias alijs

magis

magis accedere, & à maxime ſpuria recedere. Igitur victus ratio alijs alia inſtituenda eſt. Summe enim ſpuriæ, quæq; ad has magis accedunt, minus humectari & refrigerari volũt: ſed quæ exquiſitis viciniores ſunt, magis, ſed nõ tantũ vt veræ tertianæ: verũ quò propius ad has accedunt, eò plus refrigerari ac humectari volunt. Itaq; calfaciendi modus ex horum extremorum diſtantia ſumendus eſt. Igitur ptiſanæ cremor, cui adiectum piper ſit, & mulſa in qua concoctum ſit hyſſopum, origanum, aut nardi ſpica, in potu danda eſt. Tantum autem horum admiſceri debet, quantum febris ad ſumme ſpuriam accedit. Ad eundem modum medicamenta, quæ vrinæ ciendæ vim habent, modo ne vehementer calfaciant & exiccent, vtiliter adhibentur: & quidem abſinthium ſed poſt ſeptimum diem, vbi lentam febris materiam commemoratis medicamentis, aut aceto mulſo incideris, nam multos iuuat acetum mulſum, incidendi humoris glutinoſi vi, ac delendæ obſtructionis. Abſinthiũ autem ante ſeptimum diem adhibitum pituitam infarcit, augetq; obſtructionẽ. Balnea verò ante concoctionis ſigna ſalutaria non ſunt quia ad cutem crudos humores euocant, intus coquendos, obſtructionemq; augent. Neq; ſalubre eſt quotidie cibare, niſi viriũ imbecillitas, aut aliud quippiam id ſuadeat ſed tantum alternis diebus. Cũ enim harum febrium acceſſiones longæ ſint, &

*natura circa has occupetur, ea à ſuo munere a-
uocanda non eſt. Sed nec, vbi materia concoctio-
ni contumax eſt, & vires valent, liberaliter eſt
alendum, vt modo dicebamus. hac ratione cor-
pus exercendum non eſt, quando motus naturam
foras euocat, quæ intus crudam materiam con-
coquere debet: ſed potius fotu iuuanda, præſer-
tim circa hypochondria, in quibus maxime abū-
dat cruditas: clyſteribus vero non admodum mol
libus, ſed acrioribus, vt inertem materiam euo-
cent, vacuatio molienda eſt, Sanguinis quoq; per
initia tantum detrahi debet, quantum præſens
ſtatus efflagitat. Statum præſentem intelligo,
tum ægri, tum morbi. Aeger enim ſi valet, ſan
guinis miſsionem admittit: ſin minus, reſpuit. Si
morbus ex magna humorum copia conſtat, miſ-
ſionem ſanguinis expoſcit, non quidem medio-
crem, ſed pro eius copia. Verum quando diu du-
raturus eſt morbus ob cruditatem, mediocriter
ducendus eſt, vt in finem morbi vires ſeruentur.
Nam ſi quantum affectus deſiderat, detrahere-
tur, vires longo morbo profligando vix ſuffice-
rent. Itaq; Galenus ait,* ἀλλ᾽ εὐθὺς κατ᾽ ἀρχὰς, διοϱισάμενος ἐξ ὧν οἶσθα, ἀποχεῖν αἵματος ὅσον τοῖς παροῦσιν μέτριον. *hoc eſt, initio ſtatim (di-
ſtinctis his, quas noſti, rebus) tantum ſanguinis
detrahes quantum in præſentia commodum vi-
debitur. Initio enim mittendus eſt, antequam vi
res labantur, ac adhibendæ diſtinctiones, nempe
ætat*

ætatis, temporis, regionis, & aliorum id genus, quæ ſanguinis miſsionem, vel hortatur vel dehortantur. Atq; tantũ ſanguinis detrahẽdum, quantum commodum eſſe videbitur, & præſentes vires permittunt, hoc eſt mediocriter, & non quantum affectus expoſcit, propter cauſas prius declaratas: purgare quoq; licet, ſed blandis medicamentis, & quæ ſolum ventrem, inteſtina, & primas venas, ſine vehementia expurgent, nõ autem è toto corpore trahant: quando humoris cruditas purganti medicamento, vel forti nõ cedit. Itaq; ante concoctionem vehemẽter purgantia danda non ſunt, vt recte monet Hippocrates. Concocta, inquiens, medicari & mouere, non cruda, niſi materia turgeat. Cæterũ blande purgant, abſinthium, rheum barbaricum, caſsiæ atramentum, aloë, & id genus alia, quibus aſsidue huius ætatis medici vtuntur. Vomitus autem poſt cibum adeo vtilis eſt inueteratis febribus, vt multi ſtatim poſt vomitiones à febre liberati fuerint: febris enim diuturnitas multa in ſtomacho & hypochondrijs pituitoſa excrementa parit, quibus vomitione reiectis à febre vindicantur. Aldinũ exemplar habet ὁ δὲ ἐπὶ τοῖς ἀσιτίοις ἔμετος. exemplar manu ſcriptũ, Paulus & Aetius legunt, ὁ δὲ ἐπὶ τοῖς σιτίοις: quod etiã ratio exigit: cõmodius enim à cibo, quàm inani ſtomacho vomitur, ſcilicet humectatis cibo & potu ſtomachi fibris. Siccæ enim rumpendi pericu-

lo magis ſunt obnoxiæ.

DEINCEPS autem de quartanis diſſeremus, quas per initia moderate, leniterque tractare oportet: nullum vehemens medicamentum aut vacuationem adhibentes, niſi ſanguis admodum exuperare videatur. Et ſi ſecta vena ſanguis niger ac craſſus, qualis maxime in lienoſis conſpicitur, profluat, audacter mittendus eſt: ſin flauus ac tenuis, ſtatim ſupprimendus. Secanda vero vel interna vel media ſiniſtri cubiti vena eſt, & victus deinceps, qui flatus ſit expers, probumq;, ſuccum generet, adhibeatur: venterq; ſi fieri poteſt, conſuetis emolliatur, quæ ſi non profecerint, clyſteribus per initia quidem mollibus, poſtea vero acrioribus ſollicitandus eſt. A' ſuilla autem carne cibíſque omnibus glutinoſis & lentis, quiq; refrigerant & qui exiccant, arcendi ſunt ægroti: vino vero albo, tenui, & mediocriter calido vtantur. Ex auibus autem quæ boni ſucci ſint, ac nõ paluſtres: ex piſcibus qui facile coquantur, & molli miniméque glutinoſa ſint carne, dare oportet. Salſamentis vero ac ſinapi vtendum eſt, & certis diebus interpoſitis medicamentum, quod quia ex triplici conficitur pipere, διὰ τριῶν πεπέρεων, dicitur, eſt ſumendum, aut dioſpoliticon: ſolumq; piper

per eum aqua, recte quotidie præbebis. A' frictionibus vero, ambulationibus, balneis,aliisq; conſuetis, penitus arcendi non ſunt. Verum,ſi à balneis omnino abſtinere poſſent,ſolis contenti frictionibus, plurimum iuuarentur. Et, ſi breuis quartana ſit,minimeq; violenta,non male per acceſſionum intermiſsiones ægroti ad ſolitas exercitationes ſeſe conferent. Hæc quidem per initia vſq; ad vigorem peragẽda ſunt. Quòd ſi in morbi vigore conſtitutus æger iam eſſe videatur,tunc tenuiori, quàm antè vel pòſt, victus ratione vti debet: ſtatimq; longa quies imperanda eſt:ac viſceribus prouidendum fotu ac litu, quibus emolliendi laxandiq; vis inſit. Deinde medicamentis, quæ diuretica vocant, vrinas euocare oportet: & ſi coctionis notæ apparuerint, tunc medicamentis, quæ atram bilem educunt, non ſemel, ſed ſubinde ſæpius purgare, ſi res ita exigere videatur. A' cibo vero ægrotum vomere oportet: tunc autem ſi nihil vetet,album veratrum ſæpe dandum eſt, primum radicibus miſtis: quod ſi nihil profuerit, ipſum etiam veratrum. His vero qui vomere nequeunt, vehementius per inferiora purgatis medicamentum, quod ex viperis eſt temperatum, dandum eſt,& alia, quæ aduerſus has

febres commendãtur: in quibus omnium probatiſsimum habetur, quod ex liquore cyrenaico conficitur, nobis vſitatum. Qui autẽ per initia aliquod ex his medicamentis dederunt, aut omnino ante morbi ſtatũ ex ſimplici quartana duplicem ſæpe, aut ſine dubio maiorem ac difficiliorem: ex duplici vero triplicem, aut omnino duas ipſas difficiliores ac maiores reddiderunt. Noui enim medicum quendam, qui tribus quartanis laboranti medicamentũ ex viperis, ante morbi vigorem dare ſit auſus: deinde omnibus vt par erat adauctis aſsidua febris ſucceſsit, quæ hominem iugulauit.

Blande, leniterq́; tractari quartana debet: ob id, quòd humor, qui hanc efficit, tractui ſit contumax: ægre enim per initia, & antè quàm concoctionem ſit expertus, trahens medicamentum ſequitur, tum propter craſsitiem ac frigiditatẽ, tũ quòd vias anguſtas, per quas trãſit, obſtruit, tum quòd qui in carnoſo genere reſidet, infarctus meatibus ſit: igitur expectanda eſt cõcoctio. Nam ſi prius vehementi medicamento trahere moliaris, humore non ſequente ſanguis & carnes eliquantur, natura irritatur, obſtructio & febris augetur, & alia id genus incommoda fiunt, quæ Galenus libro cui titulus eſt, Quóſnam purgare oportet, quibus medicamentis, &

quam

quando,fuſè docet. Itaq; neq; forti medicamento,neque alijs vehementibus remedijs ſolicitandus æger eſt:neque balneis vti debet,niſi ijs ſit aſſuetus. Imò ab ijs tutius abſtinebit:nam quatenus refrigerant obſunt,quatenus autem foras euocant,obſtructionis periculum afferunt: maximeq; ſi corpus redundat excrementis crudis. A frictionibus vero,ambulationibus,alijſq; conſuetis,in totum arcendi non ſunt,hoc eſt,permittenda quidem hæc ſunt, ſed minus quàm per ſanitatem:neque tam crebro, tamq; vehementer fricare, ambulare , alitérque corpus exercere licet, quàm per ſanitatem:alioqui vt dictum eſt, ſubeſſet obſtructionis periculum. Sed ſi moderata hæc adhibeantur, idq; inter acceſsiones , & longe ab his,excrementa vacuabunt:& alia corpori commoda adferent,vt ex ſecundo de Sanitate tuenda Galeni libro videre eſt. Neq; vero ſanguis mittẽdus eſt. Nã vacuatio hæc corporis iam refrigerati ac reſiccati,peneq; ſanguine deſtituti incommodum auget. At vbi ſanguis vehemẽter abũdat,venam ſecare licet ſiniſtri cubiti internam,vel mediam. Nam ea vena ex liene maxime,qui in febre quartana affici ſolet, vt prius oſtenſum eſt , vacuat humorem melancholicum. Vbi igitur talis apparuerit,hoc eſt niger & craſſus,large vacuãdus eſt,nimirum à quo febri materia ſuggeritur. huius igitur ſi copiam magnã extraxeris,natura reliquo humori concoquendo

ſuperior euadet, febremq́; breuiorem reddet. *Si* vero tenuis ac flauus appareat, ſtatim eſt ſupprimendus: quando eiuſmodi ſuccus inutilis nõ eſt, ſed craſſum ac frigidum humorem, tum ſua ſubſtantia, tum qualitate emendat. *Victus* flatuoſus non ſit, bonumq́; gignat ſuccum: vires enim, quæ diu durare debent, ſeruat & auget: & craſſum ſanguinem ſua ſubſtantia corrigit. hac ratione aues boni ſucci proſunt, paluſtres inſalubres ſunt, quod & excrementis ſcatẽt, & craſſum humorẽ gignunt, ægreq́; concoquuntur. Piſces quoq; ſaxatiles boni ſucci ſunt. Paluſtres vero, lacuſtres, & qui in immundis ac turbidis aquis viuũt, excremẽtoſi, ac mali ſucci. Flatuoſus vero cibus, ventrẽ ac viſcera flatus diſtẽdit, eorumq́; functiones impedit. Vẽter, ſi omnino fieri poteſt, conſuetis alimẽtis, vel puris vel medicamentoſis emolliendus eſt, aut clyſteribus primum mollioribus, deinde acrioribus: ſenſim enim augenda eſt eorum vis, prout ſenſim febris materia coquitur. Nam per initia, vt dictum eſt, leniter has febres tractare oportet. A ſuilla carne, glutinoſis, lentis, & frigidis ſiccisq́; cibis omnibus arcendi ſunt: vt qui & coctu difficiles ſunt, & ſuccũ craſſum lentumq́; gignant. In exemplaribus Græcis typis excuſis & in Paulo Aegineta legitur, καὶ τῶν ψυχόντων καὶ ὑγραινόντων. Leonicenus vero legiſſe videtur, ψυχόντων καὶ ξηραινόντων: quæ lectio magis mihi applaudit.

Conſt

Cõſtat enim humida hiſce febribus cõmoda eſſe, ſicca vero incommoda. Vino albo, tenui, mediocriter calido, vtantur. Eiuſmodi vinum ſua tenuitate, craſsitudinem humoris melancholici extenuat: caloris mediocritate, corpus mediocriter calfacit humore melancholico refrigeratum, coctionem iuuat & vrinas prouocat. Craſſum vero & calidum, humiditatem reſoluit, craſſum humorem gignit, ac ægre concoquitur. Salſamentis vero ac ſinapi in hiſce febribus vtendum eſt, quatenus extenuãt craſſos ac glutinoſos ſuccos, ſuperuacuamq; humiditatem depaſcuntur. Conſtant autem ſalſamenta ex piſcium carne & ſale. Solent enim piſces, præcipue qui excrementis ſcatent, ſale macerari, ac in vſum reponi: quorũ qui mollioris ſunt carnis, facilius coquuntur, ſuccumq; minus craſſum ac glutinoſum pariũt: qui vero dura carne ſunt præditi, quales cetacei ſunt humorem gignũt craſſum: proinde minus ex his quàm illis ſalſamenta quartanis conueniũt. Eadem ratione nec bubulæ, nec ſuillæ ſale conditæ, ſalubres ſunt: præſertim vbi per ætatem duræ euaſerunt. Interpoſitis quibuſdam diebus medicamentum quod διὰ τριῶν πεπέρεων dicitur, & dioſpoliticon, adhibendum eſt. Solum vero piper cum aqua quotidie. Piper cum triplex ſit, optimum eſt longum, deinde album & nigrum: calfacit enim, & flatuoſi ſpiritus craſsitudinem ſoluit, & quæ in præcordijs congeſta cruda ſunt,

extenuat. Cum aqua vero humectat, mediocriterq́; calfacit: ideo quotidie vti licet: dioſpoliticon vero & διὰ τριῶν πεπέρεων, eandem vim ferè obtinent: ſed quia vehemēter calfaciūt, non eſt quotidianus vſus ſalutaris, ſed ſi interpoſitis quibuſdam diebus, idq́; inter acceſſiones, adhibeatur. Horum componendorum ratio, & vtilitas ex Galeni de Sanitate tuenda libro IIII. petenda eſt. In vigore, tenuiori victu quàm antè vel pòſt vtendū eſt, quieſcēdumq́;, ne natura circa morbi materiam omnino occupata, à ſuo munere auocetur. Deinde prouidendum viſceribus, quæ distendi ſolent tum viſcoſi, tum craſſi humoris ac ſpiritus etiam flatulenti abundantia, quibus reſolutis ac vacuatis emolleſcunt ac laxantur. Quæ nam emolliant ac laxent, abunde in libris de Facultatibus ſimplicium medicinarum tradit Galenus. Poſtea diureticis euocandæ vrinæ ſunt. Quoniam diuretica calida ſunt, ideo nō antè ſunt adhibenda, quàm viſcera ab obſtructione ſint libera: ne ſecum humores rapiant, obſtructionemq́; augeant. Et ſi coctionis notæ apparuerint, ſubinde ſunt purgandi his medicamētis, quæ atram bilem educant: ſemel enim ea educi non poteſt, quando tam vehemens medicamentum, quod totum hunc humorem tractui contumacem ſemel purget, corpus ſuſtinere non poteſt. A cibo vero vomitus eſt ciendus veratro albo, primum cum raphanite, deinde per ſe: cuius vtēdi

di modum docet Paulus lib. VII. A' leuioribus enim molienda curatio eſt. Qui vero vomere nequeunt, vehementius per inferiora purgandi ſunt. Cum enim atra bilis & ad cutem tendat & ſtomachum, in veníſque ac viſceribus, præſertim liene, abundet, diuerſos idcirco purgandi modos ac partes, quibus repurgari poſſit, docet: nempe cutem frictionibus, ſtomachum vomitionibus, venas per vrinas, purgationibus per aluum. Neque enim facile cũ pigra ad motum bilis ſit, è longinquo ad ventrem trahi poteſt: quemadmodum bilioſus & ſeroſus humor, qui facile trahenti medicamento paret. Verum cum non omnes ad vomitum ſint idonei, quales qui preſſo anguſtoq; ſunt pectore, quiq; vomere non conſueuerunt, ſupplendum per inferiorem ventrem eſt, quod per vomitiones eſt negatum. Ideo vehementi medicamẽto eſt opus, quod humorem deorſum ducat: idq; maxime apparentibus coctionis ſignis: imò vero, vt vere dicam, atra bilis, vt Galenus docet, ſemper deorſum eſt educẽda: niſi, vt dictum eſt, aliò feratur. Nam quò natura vergit, eò deducere oportet. Poſt vehementem purgationem, medicamentũ, quod ex viperis conſtat (theriacen vocant) adhibendum eſt. Huius antidoti vires & compoſitionẽ habes libro Galeni de Antidotis primo. Alia id genus medicamenta, quale eſt, quod ex liquore cyrenaico conſtat, adhiberi poſſunt, ſed

vbi coctionis ſigna apparent: alioqui enim ſua caliditate febrem augerent. Medicamentum, quod ex liquore cyrenaico conficitur, capit ſucci cyrenaici, myrrhæ troglodyticæ, piperis, æquales portiones: ſeorſum trita rutæ ſucco colliguntur, in pilulasq; finguntur, dantur oboli pondere.

IN curanda autem quotidiana primis diebus tum aceto mulſo, tum his quæ probe vrinam cieant, eſt vtẽdum: ac in ſumma victus ratio incidendi vi prædita eſſe debet. Circa ſtatum vero de vẽtre, maximeq; eius ore ſolicitum eſſe oportet: poſteáque iubere, vt à raphanide, & cibis aſſumptis, æger vomat: hisq; vtatur medicamentis, quæ pituitam eliciant. Reliquam vero victus rationem ex communibus ſcopis facile inuenies.

Μετὰ τὰς πρώτας ἡμέρας, id eſt, vt Leonicenus vertit, poſt primos dies: quod quid ſignificet, ingenue me ignorare fateor. neq; enim an duos, tres, pluréſve dies, an totũ morbi principiũ intelligere velit ſatis conſtat: neq; ſi aut hoc aut illud dicere velit, certum ſit. non video cur hiſce diebus acetum mulſum adhiberi non poſsit, cum tunc lenta viſcoſaq; pituita corpus ſcateat. Propterea Paulum Aeginetam ſecuti lib. I. cap. XXIIII. legendũ putamus, θεραπεύοντες δὲ ἀμφημερινὸν ὀξυμέλιτι χρώμεθα κατὰ τὰς πρώτας ἡμέρας.

error

erroreq́; fortè ſcriptoris, aut alterius deprauatam fuiſſe lectionem. Primos itaq; dies, totum id tempus eſſe putamus, quo cruditatis ſigna apparent. Huic ſententiæ. Auicenna (ſi qua eſt eius apud doctos autoritas) aſtipulatur lib. IIII. Fen prima, tractatu ſecundo, de cura phlegmaticæ, his verbis: Et omnes eius ſpecies (pituitoſæ febris ſpecies intelligit) in hora principij in tribus diebus communicant. In neceßitate lenificationis æqualis aut vomitus, & in neceßitate adminiſtrationis ſubtiliãtium & incidentium & diureticorum &c. Cum enim hæc febris non admodũ calida ſit, vti exquiſita tertiana, ad eius cauſas non ad ipſam febrem conſilium dirigit. Cauſæ ſunt pituita lenta putreſcẽs, quæ febrim procreat, & obſtructio, quæ putredinem parit. Igitur per initia, pituita incidenda eſt, & meatus obſtructi detergendi. Quocirca incidens victus prodeſt, & acetum mulſum, quod ſtrenue detergit, glutinoſa incidit, & meatus ab obſtructione liberat. deinde diſſecta materia, & liberatis ab obſtructione meatibus, vrina cienda eſt: vt pituita per expeditos meatus purgetur: quam antè purgare non licebat, tum quod pigra ad motum eſſet tum quod obſtructionem auxiſſet. Circa ſtatum vero, de ventre maximeq́; eius ore habenda eſt ſolicitudo, tum quòd aceti mulſi vſu iniuriam aliquam accepit, tum quod in quotidiana pituita ſtomacho obhærere ſolet: itaq; illi

prouidendum eſt his,quæ foris admota robur inſerant:cuiuſmodi ſunt,maſtiche, nardus , abſinthium,& alia id genus.Poſtea vero confirmato ventre, vomitus imperandus eſt :primo ſumpta raphanide,deinde cibis : præſumpta enim hæc cibum ſubleuat , proindeq; vomitionem reddit faciliorem. Poſt quam medicamentis quæ pituitã eliciant,vtendum eſt:tunc enim opportune pituita purgatur,ſcilicet concoctionem experta , reliquam vero victus rationem ex communibus ſcopis inuenies.Communes ſcopi ex viribus , morbi temporibus, cauſis , & ſymptomatis , petuntur. Quotidianam autem, quemadmodum & alias longas febres ,ſequuntur hypochondriorum & ſtomachi cruditas,inflatio, ac tenſio. Vires igitur,& morbi tẽpora,cibi quantitatem:cauſæ vero ac ſymptomata,qualitatem præſcribunt. Nã ſi valida virtus ſit,ad morbum,eius cauſas, & ſymptomata attendendum eſt.Sin imbecilla, huius potius,quàm illorum habenda ratio eſt, quẽadmodum per initia vberior, in ſtatu vero parcior cibus adhibendus eſt. Et vbi materia cruda eſt,& obſtructio ingens,viſceraq; diſtenta,incidentibus cibis eſt vtendum.

IN febribus autem continuis , quibus morbi vigor non longius ſeptimo futurus eſt, & vires validæ ſunt,ætasque cõſentit,exquiſitus omnino ,& tenuis victus inſtituendus eſt. In quibus vero longius ſeptimo

ptimo totius morbi ſtatus erit, aut virtus im becilla eſt, per initia quidem liberalius, inſtante verò ſtatu parcius, vigente autē morbo tenuiſsime cibare oportet. Poſtea rurſus ſemper vberius, eodem modo cibum augēdo, quo ante ſtatum minuebatur. Sanguis verò, & ob morbi magnitudinem, & quibus rubor maior quàm naturæ conueniat ineſt, & vniuerſum corpus plus ſolito tumet, aut venæ eminentes ac diſtentæ ſunt, mittendus eſt: niſi vires, ætas, & alia, quæ initio commemorata ſunt, prohibeant. Quòd verò humidus victus acutis omnibus febribus conferat, olim recte dictum eſt. Cremor igitur ptiſanæ, in quibus non aceſcit, adhibendus eſt: & mulſa quibus in bilē non vertitur, ſorbitionesq; ex alica, & panis ex aqua, aliaq; quæ aut eandem, aut huic proximam facultatem obtineant. Quòd ſi vehementer calidæ ſint, durantque febres, vbi primum coctionis notæ apparuerint, cum fiducia danda in potu frigida eſt: cuius modum ex tempore, regione, ætate, natura, & conſuetudine metimur. Hæc quidē in ſumma eſt curandarum febrium, quæ accidentibus carent, ratio.

Exquiſitum, tenuemq; victū dixit, vt ſimul doceret iuſtam cibi tum qualitatem, tum quan-

titatem, morbo viribusq́; conuenientem. Humidus enim & frigidus, excrementorumq́; expers, & tenuis, febribus acutis prodeſt. Tenuis vires comminuit, eatenus tamen, vt non exoluantur, ſed ad morbi finem durare poſsint: qualis eſt ptiſanæ cremor, mulſa & ſorbitio ex alica. Plenus, qui nō ſolū eas conſeruat: ſed & plerunq; auget. Mediocris, qui tantum conſeruat, aut multum labi non ſinit. Itaq; victus, quo morbus acutior eſt, celeriusq́; ad vigorem properat, eo tenuior eſſe debet: liberalior vero, quo tardior. Nam vbi morbus peracutus eſt, celeriter conſiſtit, ſtatim extremos habet labores, id eſt, acceſsiones, vel ſymptomata: proinde tenuiſsimo victu vtendum eſt: permittenda enim natura eſt vacare circa morbi concoctionem: non autem ad cibos conficiendos auocāda, modo id liceat per vires, & ætatem ægrotantis. Vires enim, ſi validæ ſunt, cibi abſtinentiam vel tenuiſsimum victum permittunt: ætas autem, ſi conſiſtit, eiuſmodi victus rationem ſuſtinet. Sin puerilis, largiorem efflagitat: quoniam ob corporis mollitudinem, ſubſtantia virium reſoluitur: ideóque magis refici debet. Eadem ratiōe, & qui rara ſunt textura, minus ferunt extremam victus rationē. At ſi morbus minus ſit acutus, ſeriusq́; ad vigorem peruenturus, tanto liberalior cibus adhibendus eſt, quāto tardius vigorem morbus eſt adepturus. Igitur vbi morbus longus eſt, & vires imbecillæ, ætasq́;

taſq; incommoda, vberiori cibo vti oportet. Ad eundem modum morborum tempora, victus rationem variãt. In principio enim largior victus adhiberi debet: inſtante ſtatu parcior: in ipſo autem vigore tenuiſsimus: atq; vt ſemel dicam, quo propius ad ſtatum acceditur, eo tenuior eſſe debet. Nam in principio minores ſunt labores, minúſque occupata natura eſt: eam ob rem minori incommodo à coquendo morbo, ad cibum conficiendum auocari poteſt. Contrà accidit in vigore, vbi accidentia maxime vrgent. Poſt vigorem autem, natura circa morbi concoctionem nõ amplius verſante, pleniori cibo ſemper vtendũ eſt: vt vires non ſolum cõſeruentur, ſed & augeantur, eo modo, quo ante ſtatum minuebatur. nam ſenſim lapſas vires, non affatim reficere oportet: tantum enim tũc alimenti concoqui non poteſt, quanto corpus indiget. Itaq; paulatim cibus augendus, vt paulatim vires reſarciantur: refici autem debent ad morbi materiæ expulſionem.

Sanguis vero & ob morbi magnitudinem, & in quibus eſt rubor præter naturam, vniuerſumq; corpus plus ſolito tumet, aut venæ eminentes diſtentæq; apparent, mittendus eſt: niſi vires, ætas, & id genus alia prohibeant: magnitudinẽ morbi, vehementiam vocat: quæ ex propria eius conſtitutione, ſpecieq;, & ſymptomatis deprahenditur. Symptomata autem duplicia ſunt: quædam enim actionis læſiones ſunt, de quibus mox

differetur. Alia ſolùm affectiones, quæ morbum conſequuntur, vt ſitis, inquietudo, & alia id genus, quæ ſi multa, diuturna, valida ac magna ſunt, vehementem eſſe febrem teſtantur: ſi vero pauca, breuia, imbecilla, ac ſimplicia, mitiorem. Rubor & tumor corporis præter naturam venarumq́; diſtentio, ſanguinis abundantiam indicant. Magnitudo vero morbi ac vehementia, malam qualitatẽ. Itaq; prodeſt venæ ſectio, vt quæ tum multitudinẽ, tum prauitatem humoris vacuat. Vacuatio autem viribus reſpondere debet. Imbecillitas enim virtutis, quemadmodum & ætas puerilis, habitudo corporis nimis aut extenuata aut obeſa, profluuium ſanguinis per quãcunq; corporis partem, alia vacuatio inſignis, humorum cruditas, tum in ſtomacho, tum reliquo corpore, aliaq́; id genus vacuationem diſſuadent. Quòd autem victus humidus acutis omnibus febribus conferat, pridem recte dictum eſt. Victus, inquit Hippocrates, humidus omnibus febricitantibus prodeſt: quoniam eiuſmodi affectus calidus & ſiccus eſt. At non ob id ſolum, quòd humectat, confert: ſed quia facilime concoquitur, vt in libro de Optima ſecta ſcribit Galenus. Nã ſi, quod concoquitur, primum liquari, deinde diſtribui in corpus debet: ægrotus vero cibum facilimæ concoctionis deſiderat: (facilime autem liquatur ac diſtribuitur, quod humidum eſt) eiuſmodi victus omnibus febricitãtibus vtilis eſt. Igitur

tur cremorem ptiſanæ, quibus nō aceſcit, & mulſam quibus in bilem non vertitur, dare oportet, & ſorbitiones ex alica, & panis ex aqua, vt ex quo ſal & fermentum elutum ſit, & id genus alia, quæ humectandi vim habent. Quòd ſi vehementer calidæ ſint, deurantq; febres, vbi primum coctionis notæ apparuerint, cum fiducia danda in potu frigida eſt, quantum ætas, tempus, regio, natura, & conſuetudo, permittunt. Perpetuo enim febri, qua febris eſt, conuenit: quia refrigerat, & humectat, vti prius dictum eſt.

QVAE vero cum ſymptomatis ſunt febres, haud ita ſimpliciter curantur: ſed, quoad fieri poteſt, expendere oportet, quãta febris ſit, quantumque ſymptoma quod periculum adferat, ac horum vehementiori, moleſtiorique inſiſtendum: non neglecto tamen omnino altero. Age igitur febri citet quiſpiam citra humorum plenitudinẽ, ſed cum recenti cruditate os ventris mordente, prementeq;, reiecerit vomitione humorem aliquem vitioſum, qui in tranſitu ita vehementer ægrotum læſerit, vt moleſte anxieque ferat. Solámne multitudinem ad febrem tum reſpicientes vacuare tentabimus, quod citra moleſtiam alioqui faceremus? An prius ori ventris proſpiciemus, ac poſtea vbi recte id habuerit, vniuerſum corpus, quantum res ipſa expoſcit, va-

cuabimus? Mihi ſane ita videtur. Tales igitur non paucos ſæpe vidimus, alios quidem interiiſſe, alios vero in ſummum periculũ fuiſſe adactos: cum eos vacuare, ventris ore, nondum confirmato, medici tentaſſent.

Symptoma aliud, affectio quædam eſt, morbum ſequens, vt modo dicebatur: Aliud vires lædit, & morbũ auget. Prius medendi rationem non immutat: eſtq́; affectus curandi nota, vt pulſus inæqualitas, calor præter naturam, ſitis, inquietudo, & id genus alia quæ affectum produnt. Poſterius vero, quia rationem cauſæ obtinet, ſi quidem graue eſt, curationem interpellat. Vires enim demolitur, ac morbum auget: qualis eſt ventriculi affectus, excretiones immodicæ, & alia quæ in ſequentibus tractabuntur. Igitur videndum eſt, quanta ſit febris, & quantum eſt ſymptoma, quod periculum adferat, & vrgentiori ſuccurrendum. Finge igitur aliquem febricitare citra plethoram, id eſt, humorum plenitudinem, ſed tamen cum recenti cruditate os ventris mordente, vomátque humorem aliquem, qui in tranſitu grauem ægroto adferat moleſtiam. Dico prius ventri, quàm humoris febrem procreantis, multitudini ſuccurrendum eſſe: quam ſi vacuare tentes ſiue purgante medicamẽto, ſiue ſanguinis detractione, affectum ſtomachi augebis, inhabilemq́; reddes ad cibi concoctionem: quæ ad vires

vires tuendas neceſſaria eſt: detracto enim ſanguine, naturali calore venter deſtituetur, proindeq; nec cibum conficiet, nec quem cõtinet humorem crudum, probe concoquet. Quòd ſi purgare corpus tentes, & humoris in ſtomacho multitudinem augebis, & virtutẽ proſternes: ita vt pro noxæ magnitudine, alij intereant, alij in graue aliquod periculum labãtur. Igitur ſtomacho prius conſulendum eſt, quàm febris materia vacuanda.

SED nec, ſi cum alui profluuio febris acceſſerit, alia vacuatione eſt opus. Verum ipſum per ſe ſufficit, etiam ſi non ſit pro multitudinis ratione. Quicunque enim ab iis, tanquam maiori inanitione egentibus, vel ſanguinem ducere, vel ventrem mouere auſi ſunt, in grauia pericula præcipitarunt.

Si ventris profluuium, id eſt, diarrhœa, febricitantem occupet, alia vacuatione opus non eſt: quòd id omnem corporis redundantiam vacuare ſolet. Itaq; ipſum ex ſe ſufficit, etiam ſi minus ſit quam pro multitudinis ratione. Timendum enim eſt, ne ſi iam incitatum ventrem medicamentis moueas, naturam ita prorites, vt poſtea eius impetum cohibere, aut vix, aut nullo modo poßis: vnde & ſyncope, & mors ſequutura ſit: aut ſi venam ſeces, vires fluxu aut iam quadamtenus labefactatæ, aut propè vt labefactentur,

in totum pereant.

NEQVE vero, ſi quis conuulſus ſit, ſimulq́ue ſanguinis miſsione egeat, huic ſemel omnino tantum detrahes, quantum affectus exigit: ſed & aliquid ſymptomati eſt relinquendum, quod plerunq; ſudores mouet, vigilias adfert, & robur deiicit ægrotantis.

Conuulſio fit, reductis ad ſuam originem neruis vel muſculis: quod accidit aut inanitione aut ſiccitate, aut repletione. De poſtrema autem, noſtra nunc eſt diſputatio: quæ in corpore & eius partibus fit. vt cum vultus peruertitur, ſingultu ſtomachus infeſtatur, interdum crus, interdum altera corporis pars, interdũ corpus ipſum. Hæc enim conuulſio, multitudinem humorum indicat: quæ vacuatione eget. Sed quoniam cerebrum affectus communicatione læditur, ſudores mouet, vigilias adfert, roburq́; ægrotãtis deijcit, vnde vitæ periculum ſæpe imminet: ideo non ſemel tantum vacuandum eſt, quantum febris exigit: ſed ad virium tutelam aliquid reponendum eſt: quod poſtea remiſſo accidente, tutò auferri poterit.

AD eundem autem modum ſi vehemens vigilia, dolorq́ue grauis ægrotum infeſtet, ſubitas ac multas vacuationes vitare oportet.

Vehem

Vehementes tum vigiliæ, tum dolor, vires demoliuntur : tranſmiſsis ad doloris locum, & per vigilias ad cerebrum, ſpiritibus: vbi reſoluuntur, vti prius oſtenſum eſt, & mox fuſius dicetur. Vnde his infeſtantibus, ab integra vacuatione eſt temperandum.

AERIS vero ambientis temperies, cum omnino calida & ſicca eſt (qualis inter Canis & Arcturi exortum) ſymptomatis loco habenda eſt. Quocirca omnes, quibus medici neglecta temporum ratione venam ſecare auſi ſunt, perierunt. Ad eundem modum, ſi vehementer admodum frigida ſit. nam tum quoq; à ſanguinis miſsione eſt tẽperandum: quando in talibus non parua ſequi pericula videmus. Etenim in calidis vehementer aëris conſtitutionibus, improbe vacuati, ſyncope, vt vocant, ac reſolutione intereunt. An in frigidis, per acceſsionum initia vehementer refrigerati non amplius releuantur. Igitur neq; in calidis, neq; in frigidis, ſupra modum regionibus, ſanguinem mittere audemus. Quòd ſi regioni temporis conditio reſpondet, omnino abſtinemus, at ſi non conſentit, vacuamus quidem, ſed longe minus, quàm ſi neutrũ vetaret. Quin etiam velut ſymptoma quoddam ad ſuſcipiendam affectionem procliuitas conſide-

randa eſt. Multi enim nunquam euacuati fuerunt, neque vllam pleniorem vacuationem, neque longiorem inediam ferunt: vt quæ aliis omnes corporis vires facile deiiciant, aliis ſtatim os ventris adeo male afficiant, vt à cibis abhorreant: & ſi aſſumere cogantur, aut non contineant, aut improbe coquant. In hac dignotionis parte, expendenda eſt ægri temperies. Natura enim calidi & ſicci omnes ab integra vacuatione promptè læduntur. Conſuetudo quoq; nō parum habet momēti: cum ad alia omnia, tum maxime ad vacuationis indicationem. Alij enim nunquam ſunt vacuationem antè experti: neque integram pertulerunt: largoq́ue cibo vſi ſunt. Alij contrà, amplo cibo nec vtuntur, & vacuationibus ſunt aſſueti. Hos igitur intrepide vacuare oportet, modo reliqua conſentiant. Alios vero, nempe inſolitos, non item: etiam ſi reliqua omnia ſuadeant.

Aëris conditio, ægri temperies, & habitudo, conſuetudo & ætas, vice ſymptomatum habentur: non quòd morbos ſequantur, ſed quia curationem, curationisq; modum immutant. Aëris enim conditio & regio vehementer calidæ ſiccæq;, plenam vacuationem non admittunt, alioqui ſyncopen ac virium reſolutionem inducunt. Calor enim aëris ambientis, è corpore foras euocatum

catum

ratum ſpiritum digerit, reſiccatq; corporis habitum, ac imbecilliorem reddit: vbi igitur temporis conditio & regio conſentiunt, omnino à ſanguinis miſsione abſtinendum eſt. Vbi vero altera tantum adeſt, detrahere quidem licet: ſed longe minus quàm ſi neutra vetaret. Vehementer verò frigida vel regio, vel temporis conditio, vel vtraque, corpus refrigerat: proinde ſanguinis miſsionem impedit. Cum enim ſit refrigeratus corporis habitus, rurſúſque per acceſsionis initia refrigeretur: nunquam poſtea priſtinæ valetudini reſtituitur: ſcilicet natiuo calore à frigoris vi deuicto. Ad hunc modum ſi æger prompte ex miſſo ſanguine afficiatur, id eſt, aut imbecillior reddatur, aut eius ſtomachus deterius habeat: hanc vacuationem reſpuit, ſicuti & longam inediam. Prompte autem afficiũtur ab vtraq;, qui dilutioris ſunt ſanguinis, ſpiritus habent tenues, calidi & ſicci ſunt, quiq; amara bile abundant. Adhæc, ſi nõ ſit æger huic vacuationi aſſuetus, largóque cibo vti ſolitus, is neq; inediam citra noxam neq; ſanguinis miſsionem feret. Cum enim conſuetudo procliuitas quædam ac facilitas ſit eodem modo ſemper agendi aut patiendi in rebus naturæ tã amicis quàm aduerſis vſu comparata: ſi quid ægro inſolitum obiiciatur, iniucũdum, quodq; extimeſcat, id ſine magno incommodo, ſæpe etiam ſine graui periculo ſubire non poterit. In quo ge-

nere cum ſit ſanguinis miſsio, ſine metu ac plerunque animi deliquio (ſi meticuloſus ſit & vacuationem nunquam antea expertus, ſed liberali cibo ſemper vſus) hanc vacuationem longamq; inediam non ſuſtinebit. Contrà qui vacuationibus ſunt aſſueti, & parco cibo vtuntur intrepide, & ſine vllo periculo, tum inediam, tum vacuationem ferent.

AD eundem vero modum & corporis habitudines contemplandæ ſunt. Nam qui denſa ſolidaque ſunt carne, haud facile iis iniuriis patent. Itaq; verendum non eſt eos ſemel vacuare, ſi & alia hortentur. Qui vero mollem, & algæ modo teneram promptéque diffluẽtem hanc habent, in grauem noxam facile ruunt. Quare ab his, etiam ſi omnia alia ſuadeant, ſanguinem ducere nõ audemus, verum aliis vacuationibus quàm moderatiſsime promptiſsimeque fieri poteſt, vtimur. Similiter autem & his, qui habitu ſunt immodice vel obeſo vel gracili, venam ſecare, & alio quouis modo affatim vacuare timendum eſt.

Qui denſa duráque ſunt carne, non facile reſoluuntur: ideo largam vacuationem ſuſtinent. qui vero mollam, raram, laxam, prompteq; diffluentem carnem habent, cum ex ſe reſolutioni ſint idonei, hanc vacuationem non ferunt: quemadmodum nec immodice graciles aut natura obeſi

obeſi (hi enim exiguas habent venas) ob ſanguinis inopiam & virium imbecillitatem. Aliis igitur vacuationibus mediocribus, de quibus mox diſſeretur, vtendum eſt.

HIS vero ætas tanquam ſymptoma quoddam, quod affatim vacuare prohibeat, annumerari poteſt: neque enim pueri neq; ſenes ſine moleſtia hanc vacuationem ſuſtinere poſſunt. Hos igitur commemoratos omnes, efflagitante vacuationem affectu, non ſemel, nec affatim, ſed paulatim vacuare oportet: mediocribus inediis, frictionibus, mollibus clyſteribus, foribus, cataplaſmatis, & balneis. Quorum omnium rurſus indicatiōes ab iis, quæ antè memorata ſunt, deſumere oportet.

Pueritia etſi viribus naturalibus valet, integram vacuationem diſſuadet, ob materiæ tenellæ, & mollis fluorem: facile enim hæc reſoluitur. Senectus vero, neq; hanc ſuſtinet: vt in quibus iniuria, quæ ex immodica vacuatione accidit, nō facile reparetur.

AD eundem vero modum, ſi quando duo ſymptomata contraria ſequantur: vtrum eorum ſit vehementius, conſiderandum eſt. Pari ratione, ſi duo morbi in eodem homine pugnantes habeant indicationes: tunc enim vrgenti eſt inſiſtendum:

ſed

ſed altero nequaquam neglecto.

Nonnunquam in eodem ægrotante, duo ſymptomata, aut duos morbos, diuerſas habere indicationes comperimus. Primumq́; ei occurrimus, quod magis vrget, id eſt quod aliud incommodũ alioqui ſit adlaturum, niſi ipſi ſuccurratur: aut ſine quo alterum curari non poſſit. Pari modo, ſi duo morbi copulentur, contrarias habentes indicationes: ei primum conſulimus, qui maiorem offenſionem allaturus ſit: aut ſine quo alter curari non poteſt, aut, qui magis vrget. vti ſuprà oſtendimus.

QVAE autem à ſymptomatis, & morbis ſumuntur indicationes, non ſimpliciter, ſed pro cauſa quæ vnumquodque attulit, conſiderandæ ſunt, velut animi defectio, ac exolutio. Sunt enim pro vna eademq́ue re ambo hæc nomina à medicis vſitata: ipſa quidem res vna eſt, ſed eius cauſæ multæ. Anima enim deficit ex cholera, alui profluuio, inteſtinorum tum difficultate tum leuitate, fluxu muliebri, vulneribus, mariſcis quas hæmorrhoidas nominant, ſanguinis tum ex ore, tum è naribus profuſione, immodicisq́; ex partu purgationibus. Nonnunquam vero animæ defectum attulit magna cruditas: præſertim cum aluum immodice ſubduxit. Et ingens fames, quæ bulimos dicitur,

tur, nihil aliud eſt quàm animi deliquium. Omnem etiam vteri ſtrangulatum idem affectus antecedit: quemadmodum eius tum aſcenſum, tum deflexum in latus, tum inflammationes ſæpe ſequitur. Sed & apoplexiam, comitialem morbum, ſi quidem malignus eſt, reſolutionem, ſyncopen & marcorem anteit. Nonnunquam cum febrium acceſsionibus non paucis accedit: maxime, ſi corpus ſumme aridum ſit, ac ſqualidum, aut immodice plenum. Cum febre quoque ardenti, ac maligna: aliquando & quibus per febriũ acceſsiones extrema vehementer refrigerata ſunt, quiq; ob inflãmationis vel iecoris, vel ſtomachi magnitudinem febricitant, iis per acceſsionum initia anima deficit: præſertim vbi crudorum, miniméque coctorum humorum multitudo, aut inſignis alicuius partis obſtructio infeſtat. Item & quibus os ventris aut imbecillum eſt, aut à vitioſis ſuccis mordetur, aut craſsis vel glutinoſis vel humidis vel frigidis ingraueſcit. Quin & nõnulli affectuum animi vehementia deficiunt: præcipue ſenes, quique ex aliis imbecillitate aliqua laborant. Etenim ipſorum non paucis mœror, lætitia, ac excandeſcentia, hoc incommodum intulerunt. Nonnunquam vero & intempeſtiue erumpentes vapores hoc

modo

modo affectis, animi deliquium induxerunt. Quemadmodum & robuſtioribus, immodici ſudores. Præterea abſceſſus eruptio vires vehementer lædit, maximeq; ſi in ventrem, ſtomachum aut thoracem affatim confluit. Et ſi nos aliquando ſecto abſceſſu pus affatim vacuemus, neceſſario deficit anima: quemadmodum ſi vberius purgemus, vel inaniamus, ſeu clyſteribus, ſeu alio quouis modo, idem malum adferemus. neque vero in hydrope humor etſi ſuperfluat, & præter naturam ſit, ſemel totus citra noxam vacuari poteſt, alioqui hominẽ deficere animo neceſſe eſt. Sed & doloris vehementia vires proſternit, nimirum ſi repente vel morſus incidat, vel inteſtina circa vmblicum torqueantur (στρόφους hunc affectum Græci vocant) vel ileos, vel aliud malum oboriatur. Porrò vulneratus neruus, & muſculi caput, animæ deliquium induxerunt: & maligna articulorum vlcera, & gangrænoſa: & depaſcentia omnia, ac immoderata quædam frigiditas, aut caliditas, & vitalis roboris ſolutio. Hæ quidem ſunt animæ deficientis cauſæ.

Indicationes nõ ſimpliciter à morbis & ſymptomatis, ſed à cauſis petuntur: vt, verbi gratia, ſi quis exanimetur, non ſolum animæ deliquio,

ſed

ſed eius etiam cauſæ, nempe vel cholerę, vel fluxioni alui, vel inteſtinorum leuitati aut difficultati, vel alijs id genus cauſis remedia præſcribimus: vt in ſequentibus docebimus. Animi defectus & ſyncope, vt magnam inter ſe habent cognationem, ſic inter ſe differunt: quod ille ſit ſpirituum, præſertim animalium, vehemẽs ſubitúſque motus: cum enim relicta ſede ad locum aliquem confluunt aut pereunt, animalis facultas tantiſper conſternatur ac excidit, ſenſusq́; omnes intercipiuntur, dum ad ſuam originem ſpiritus redierint, aut noui procreati ſint. Mouentur enim interdum ſpiritus citra iacturam, aut ſaltem magnam, vt in dolore, & animi tum affectibus tum actionibus. Cuiuſmodi ſunt timor, pauor, admiratio, triſtitia, ira, vigiliæ, curæ, anxietates, & ſimilia: quorum vires antè præſcripſimus. Aliquando vero vnà cũ motu pereunt, vt in vacuationibus: de quibus poſtea dicemus. Syncope autem, eſt vniuerſarum virium præceps, ſubitaq́; ruina, hoc eſt, κατάπτωσις ὀξεῖα καὶ ἀθρόα δυνάμεως, quæ cõtingit, & interceptis ſenſibus, & liberis. Hanc autem animi defectus ſæpe antecedit, aliquando comitatur, aliquando vero ſolus affligit. Cor enim affectũ, facile in ſympathian alia duo principia iecur & cerebrum trahit: vnde non ſolum ſyncope, ſed & animi deliquium naſcitur. Quòd ſi cerebro patienti, alia duo principia non conſentiant, ani-

ma quidẽ citra ſyncopẽ deficiet. Sin cõdoleſcant, antecedet ſyncopẽ animi deliquium. Vires ſunt, animalis, vitalis, & naturalis: quæ corpus noſtrũ gubernãt. Animalis quidem, in cerebro: Vitalis autẽ, in corde: Naturalis vero in iecore collocata eſt. Harũ ſubſtãtia ex cõmoderata qualitate & quãtitate ſpiritus, & ſolidæ ſubſtantiæ conſiſtit: quibus probe contẽperatis commoderatisq́;, vires valere neceſſe eſt. Contrà collabi, vbi vel alterantur, vel corrumpuntur. Alterantur autem à qualitatibus, vel nudis, vel in vitioſo ſucco receptis. Corrumpuntur vero ſolida quidem, hoc eſt caro, & quæ ex genitura cõdita eſt, alimenti penuria: vt in bulimo, id eſt, ingenti ac inſatiabili fame: aut digerente abſumenteq; calore, vt in ardentibus, colliquantibus, & hecticis febribus. Spiritus vero perit ſuffocatione, admiſtione alienæ materiæ, tota ſubſtantia cõtrariæ, nutrimenti defectu, vacuatione immodica, impedita reſpiratione, & reſolutione, id eſt digeſtione per halitum. Suffocatur autem ſpiritus obſtructione ac repletione, non ſolum partium principum, ſed & vniuerſi corporis. Oppletis enim venis aut obſtructis, vel principiorum vel totius corporis natiua caliditas ſupprimitur, ac ſuffocatur. Admiſcetur autẽ aliena ſubſtantia, inſpiratione aẽris peſtilentis, aut vaporis alicuius tetri odoris, qualis ex ſtagnis, paludibus, & cadaueribus non crematis exhalare ſolet: aut puro

quid

quidẽ ex ſe aëre, ſed dũ inſpiratur, vitiũ in ſpirandi inſtrumẽtis cõtrahẽte, aut genitalis ſeminis, aut mẽſtrui, vel grumi ſanguinis vel alterius corruptæ ſubſtãtiæ vapore ad cor permeãte. Vitiatur autẽ aër attractus, pulmonis & partiũ pectoris vlceribus. Nã vti vẽter cibũ iecori, vt fiat ſanguis, præparat: ita pulmo cordi aërẽ, vt vitalis ſpiritus generetur. Nutritur enim is ſpiritus tũ ex inſpirãdo, tũ ex ſanguine: queẽadmodũ animalis & ex inſpirãdo, & eo quod ſuggerit reticularis plexus: vt autor eſt Galenus libro duodecimo Methodi medendi. Si igitur pulmo attractum aërem vlceris putrilagine vitiet, in ſpiritus vitalis ſubſtantiam mutari non poterit: quemadmodum nec ſi venter cibum omnino corrumpat, in ſanguinem iecur eum conuertet. Nutrimentum vero deficit, imbecillitate non ſolum principiorum, ſed & totius corporis, ſpiritum generare nequeunte. Vacuatio vero fit alui profluuio, & alijs cauſis ab ipſo Galeno hic enumeratis. Prohibetur reſpiratio, cordis, pulmonis, gutturis & faucium obſtructione: aut impeditis reſolutis've ſpirandi inſtrumentis. Reſoluitur autem ſpiritus, ingenti dolore, animi affectibus, crebris motibus, quales ſunt vigiliæ, & labores: ſua itẽ tenuitate, & corporis raritate, & expultrice vi immoderatius per vniuerſum corpus concitata. Itaq; vteri & alui profluuium, vulnera, mariſcæ, ſanguinis per vomitũ reiectio, & è na-

ribus profuſio purgatio ex partu immodica, non ſolū animi deliquium, ſed & ſyncopen adferūt, tum quia ſpiritus ſubſtantiam vacuant, tum quia alimoniam corpori ſubtrahunt. Cholera vero, & inteſtinorum difficultas, tum doloris, tū vacuationis magnitudine, ſpiritus ſubſtantiam demoliuntur. Cruditas autē, quia vires premit multitudine, & exiguos animalis meatus obſtruit craſsitudine, & acrimonia pungit. Bulimos, id eſt ingens fames, vtriq; ſubſtātiæ alimentum negat. Vteri vero ſuffocationem omnem, antecedit animi deliquium. Suffocatur autē vterus vel genitali ſemine, vel menſtruo ſanguine, vniuerſum corpus potenter refrigerante (vt autor eſt Galenus) ita vt ſpiratio ſenſu depræhendi non poſsit: atq; hac ratione vterus ſuffocari dicitur. Hunc autem affectum animi deliquium antecedit: ſcilicet corrupti vel ſeminis, vel menſtrui vapore ſubſtantiæ ſpiritus permiſto, nondum vniuerſo corpore valenter refrigerato. Nā tunc non ſolum deliquium eſt, ſed & ſtrangulatio ab vtero. Porrò animæ defectus antecedit apoplexiam, & comitialem morbum obſtructione ſuffocato ſpiritu. Antecedit & reſolutionē, ac ſyncopen, & tabem, eodem reſoluto ac digeſto: idq; aliquando per febriū καταβολὰς, id eſt, acceſsiones, & impetus: præſertim vbi corpus laborantis extreme ſiccū eſt, aut ſqualidū, aut immodice plenū. Spiritus enim penuria ſqualidus in illo

acceſsionis impetu abſumitur, in plenis vero virtus grauatur humorũ & vaporum plenitudine, ſæpe etiam ſuffocatur. In febre autem ardẽti, ac maligna linquit animus: tum quòd ſubſtantiam ſpiritus reſoluat, tum quòd fuliginoſus vapor, ſpiritus ſubſtantiæ miſceatur. Quibus vero extremæ partes, per initia acceſsionum vehemẽter refrigeratæ ſunt, anima deficit. Nam ab immoderata intemperie hunc affectum naſci antè dictum eſt: quanquam & in tanta perfrictione, ſpiritus affatim intrò remeat: qui multitudine ſuffocatus, animæ defectũ adfert. Eadem ratione, & in magnis iecoris, ventris, vel ſtomachi, vel aliarum internarum partium inflammationibus, per acceſsionis febris initia deficit animus: maximeq́; ſi crudorum ſuccorum copia, aut inſignis partis alicuius obſtructio infeſtet: nã & tũc ſuffocatur ſpiritus, & virtus grauatur. Item, & quibus os ventris imbecillum eſt, & à prauis ſuccis mordetur, conſentientibus principijs: quemadmodum ſi & à craſsis, glutinoſis, humidis, aut frigidis degrauatur: ſic vehementibus animi motibus nonnulli deficiunt, præcipueq́; ſenes, ac ex alijs imbecilles, quando hi affectus digerendæ in his animulæ facultatem habent. Nonnũquam vero & intempeſtiue è corpore erumpentibus vaporibus, tales deficiunt: quemadmodum robuſti immodicis ſudoribus. Præterea abſceſſus eruptio vires vehementer lædit. Nam vnà cũ pure

ſpiritus exhalat, & ſi in ventrem aut thoracem affatim confluit, vires degrauat. Ad eundem modũ ſi ſecto abſceſſu pus affatim effluat, neceſſario anima deficiet: quemadmodũ ſi quis immodice purgetur, aut vacuetur, ſeu clyſteribus ſeu alio quouis modo: idem periculum ſubibit, quando vnà cum materia copioſus ſpiritus exhalat: quo fit, vt in hydrope non ſemel, ſed paulatim noxium humorem vacuare oporteat. Sed & doloris vehementia hunc affectum parit: quia ſpiritum reſoluit. Eadem ratione & ſectus neruus, & muſculi caput, & maligna articulorum vlcera, & gangrænoſa & depaſcentia: quia dolore ſpiritus conſumitur: immoderata vero caliditate digeritur, & frigiditate extinguitur. Et vitalis roboris reſolutio, ſpiritum ſufficientem ad obeundas animæ functiones non ſuggerit.

SINGVLAE vero earum propriam deſiderant curationem, ſed nunc de omnibus ſcribendi locus nõ eſt. Nam quæ affectibus inſunt, ſine his curari nõ poſſunt. De his igitur in hac diſputatione eatenus diſſeram, quatenus diſcat aliquis, quomodo repente incidentibus acceſsionibus occurrere poſsit. Frigida, exempli gratia, iis ſpargenda eſt, qui ex cholera, alui profluuio, ac aliis multis, ſubitiſque vacuationibus, exoluuntur. Nares quoque comprimendæ ſunt

ſunt

ſunt,& os ventris perfricandum, vomitusq́; imperandus, aut ſtomachus inſertis in os vel digitis vel plumis laceſſendus. Sed & manus,& pedes vinciendi ſunt:manus quidem pluribus & vehementibus vinculis,cũ infernæ partes vacuantur, vt in mariſcarũ profuſione,alui fluxione,& vteri vacuatione. Nam tunc crura vehementer reuincta deorſum ſæpe aliquid attrahunt. Contrà verò,in ſanguinis è naribus eruptione, & in vomitionibus,crura & pluribus & valentioribus ligaturis ſtringenda ſunt. Quinetiam quibus ſanguinem vulnera profundunt, ſi quidem id in ſuperioribus partibus accidat, infernæ: ſin infernis, ſupernæ vinculis aſtringendæ ſunt. Inueniendus enim parti ſitus eſt qui ſurſum vergat,non tamen ſupra modum.nam ſi adeo tendatur vt dolorem ſentiat, non minus quàm ſi deorſum vergeret,fluxio irritabitur. In ſumma autem ad ea reuellere oportet, vel quæ communitatem cum affectis partibus habent, vel à quibus humor decurrit. proinde vehementes vteri fluxiones admotæ mammis cucurbitulæ celerrime compeſcunt. Sanguinis vero è naribus eruptionem, eædem iecori & lieni pro nare ſanguinem fundente,aut ambobus viſceribus, ſi cruor ex vtraq; nare affatim abundeq; profluat,affi-

xæ cohibent. Vinum quoq; aqua gelida dilutum animi defectiones ex immodicis vacuationibus ſanat: maxime ſi ad vẽtriculum fluxio repat. Conſiderandum autem eſt, nũ id adhiberi aliquid prohibeat, qualis eſt viſceris alicuius inflammatio, aut vehemens capitis dolor, aut deliratio, aut ardens febris cum morbo crudo. magnæ enim ac propemodum incurabiles ex vini potu noxæ ſequuntur. Quòd ſi nihil prohibeat, deinceps ægrotantis natura, conſuetudo, ætas, & ambientis aëris temperies conſideranda eſt: quibus perſpectis aut calidum: aut frigidum potum dabis. Nã qui frigidum bibere non conſueuerunt, aut eo manifeſte læduntur, quíque natura frigidiores ſunt ac extreme ſenes, & in regione naturaliter frigida degunt, hybernóque tẽpore, à frigido arcendi ſunt. Qui vero aliter habent, potare intrepide poſſunt. Quòd ſi ventriculus fluxione tentetur, vinum calidum ac tenue, quale Lesbium eſt, detur. Craſſum vero ac nigrum, acerbúmque, in ſanguinis eruptione. Locis autem ipſis ventri quidem, & vtero, ſtomacho & thoraci, quæ robur parti inſerere idonea ſint, admouere oportet. Capiti vero & fronti, tũ hæc tum quæ refrigerent. Et ſi qua in ſumma cute aut naribus rupta vena eſt, aliquod ex

iis, quæ ſanguinem ſiſtunt, medicamentum imponendum eſt. Balnea autem commodiſſima ſunt, ſi defluxionis iniuriam venter patiatur: ſed ſanguinis eruptionem vehementer irritant. Atque iis etiam aduerſiſsima ſunt, quibus ex ſudoris copia deficit anima, quãdo his cutis laxanda nõ eſt, ſed ſpiſſanda ac refrigerenda. Vinum quoque frigidum maxime eſt adhibendum: nihil verò quod calidum ſit omnino dandum eſt. Sed nec membra ligare, nec cogere ad vomitum, nec vllo modo mouere oportet. Domus porrò aditus refrigeranti auræ expoſitus ſit, aërque in frigidam denſantemq; qualitatem mutetur, myrti frondibus, vitium capreolis, ac roſis ſolo ſparſis. nihil horum fluxionibus, quæ in ventrem feruntur confert: has enim tantum augent, quantum cutem denſant. His igitur qui ex vacuationibus exoluuntur, ſic in præſens eſt ſuccurrendum.

Oſtenſum nuper eſt, non ſimpliciter à ſymptomatis deſumendas eſſe curationis indicationes, ſed & ab earum cauſis, quæ cum variæ ſint, varias habent curandi rationes. Cum igitur animi deliquum ex multis occaſionibus originem habeat, nempe cholera, diarrhœa, id eſt alui profluuio, & alijs paulo ante memoratis, varij ſunt e-

ius curationis modi. Nam quod ex cholera fit, diarrhœa, & aliјs magnis vacuationibus, gelidam aquam inſpargendam eſſe, nares compræhendendas, os ventris perfricandum, vomendum, irritandum ſtomachum, & vincienda extrema, indicat. Frigida enim ſua qualitate, cōtinēti facultati robur reſtituit, vnde profluuium ſiſtitur: & conſopitas vires excitat. Idem præſtat nariū & aurium compræhenſio. vomitus vero, ſtomachi proritatio, & frictio, præter antè dicta commoda, naturam à ſuo motu reuocant. Ideo maxime conueniunt in alui, vteri, et infimarum partium magnis fluxionibus. Vincula extremarum partium eadem facultate ſunt prædita: ad ſe enim humores reuocant. ideo brachia liganda ſunt, vbi deorſum humoris impetus fertur: crura vero, vbi ſurſum. Itaq; in mariſcarum perfuſione, alui fluxione, & vteri vacuatione, manus & brachia ſtringenda ſunt: in ſanguinis verò è naribus eruptione, & in vomitionibus, crura. Ad eundem modum ſi partes ſupernæ vulnus acceperint ſanguinem profundēs, infernæ partes vinciendæ ſunt: ſi vero infernæ, ſupernas ſtingere oportebit. Vulneratas quoq; partes ſubrigere oportet, non tamen ita vehementer, vt dolore afficiantur: alioqui fluxionem irritares, non minus quàm ſi deorſum vergerent. Ad hunc igitur modū collocandæ partes vulneratæ ſunt, vt ſanguis qui ſuo pondere deorſum fertur, minus ob

indi

indigentiam cauſæ trahenti pareat: quòd ſi hæc tam vehementer arrigendo tendantur, vt dolorem ſentiant, attrahētem cauſam geminaueris: vnde non minus fluet ſanguis, quàm ſi deorſum vulnus vergeret. Modis igitur omnibus fluentes humores in aduerſam partem reuocare oportet, quæ ſcilicet communitatem cum affecto loco habeat, aut à qua fluxio proficiſcatur: vt libro eius operis ſecundo fuſius docebitur. Hac ratione in magnis vteri defluxionibus, admoueri mammis cucurbitulæ debent: quòd communitatem hæ partes cum vtero habeant. Cæterum cum defluxio vehemens ex hypotheſi ſit, vehementer reuocari deſiderat: quod cucurbitulæ poſſunt. Eadem ratione ſi naris dextra ſanguinem fundit, hypochondrio dextro: ſi ſiniſtra, ſiniſtro: ſi vtraque, vtrique parti affigenda cucurbitula eſt. Frictione vero os ventris demulcentes, naturam ab impetu auocamus: quæ ſemper ad iucunda ſeſe explicare ſolet. Vinum quoq; frigida aqua temperatum animi defectiones ex immodicis vacuationibus ſanat: & maxime ſi ad ventriculū feratur fluxio. Nam & ſymptomati & eius cauſæ remedio eſt: frigiditate enim fluxionem arcet, ſubſtantia vero vires reparat: quatenus autem celeriter in vniuerſum corpus fertur, ſecumq; humores rapit, fluxionem auertit. Sed eius vſum prohibet iecoris, aliorumq; viſcerum inflammatio: quam auget ſecum humores ad affectum lo-

cum deducendo. In vehementi quoque capitis dolore, & delirio, à vino abſtinendum eſt, vt quod facile caput feriat, ſecumq́; rapiat humores & vapores: vnde affectus augetur. Ardens etiã febris cum cruditate, temperandum ab hoc eſſe ſuadet: tum quia ſuo calore febrem auget, tum quòd crudos humores liquat, ac in nobiles partes, aut habitum corporis ſecum defert: quæ noxæ ſæpe ſunt incurabiles. Si vero nihil prohibeat, quo minus vinum bibi poßit, ægrotãtis natura, conſuetudo, ætas, & ambientis aëris temperies conſyderanda eſt: quibus perſpectis, vinum aut calidum aut frigidum dabis: calidum quidẽ, ſi frigidum bibere ægroti non conſueuerint, aut ab eius potu lædantur, aut ſi natura frigidi ſint, aut extreme ſenes, aut in locis frigidis degant, aut ſit hybernum tempus. Senes enim, & natura frigidi, facile à ſimili offenduntur: & qui nõ conſueuerunt, ob mutatam conſuetudinem: de qua prius abunde diſputatum eſt. Qui vero à loco & tempore iam refrigerati ſunt, minus ſuſtinere frigidam vini qualitatem poſſunt, vt à qua facile iniuriam ſuſcipiãt. In ventriculi vero fluxionibus quæ Græcis ῥεύματα dicuntur, id eſt deſtillationes, vinum calidum ac tenue, quale Lesbium eſt, adhibeatur: celerrime enim nutrit, vireſq́; reficit, fluxionem reuellit, cum humores in corpus ſecum rapiat, præſertim cum fluxionis impetus vehemens non eſt, ſed velut deſtillatio

quæ

quædam. Vbi vero copioſus ſanguis in ventriculum decumbit, reprimentibus eſt opus. Igitur in hæmorrhagia, id eſt copioſi ſanguinis defluxione, vinum auſterum, craſſum ac nigrum cõfert. Admouenda autem locis ſunt, ventri quidem, vtero, ſtomacho, & thoraci, quæ robur inſerere idonea ſint. Cum enim fluxio omnis fiat partis mittentis humorem robore, & recipientis imbecillitate: hanc, ne prompte recipiat, confirmare oportet medicamentis quidem, quæ modicè ſtringant, & partis intemperiem ad mediocritatem reducant. Capiti vero & fronti, tum hæc imponenda ſunt, tum refrigerãtia: quando non ſolum pars roboranda eſt, ſed & humoris, qui ad eas partes repit, impetus reprimi debet: quod refrigerantibus fit foris admotis. Et ſi qua in corporis ſuperficie, aut naribus rupta vena eſt, aliquid ex his quæ ſanguinẽ ſiſtũt imponendũ eſt. Sanguinem ſiſtunt quæ obſtruunt, emplaſtica dicuntur, qualia ſunt, quæ ex reſina & farinæ triticeæ tenuiſſimo polline, & gypſo, ſimilibusq́; conſtant. Balnea vero ventri fluxionibus tentato, maxime idonea ſunt: ſi quidem magnæ non ſint: alioquin enim concitatam iam naturam ad maiorem fluxionem prouocarent: quemadmodum & in hæmorrhagia, id eſt, ſanguinis profuſione. In paruis autem quas Græci ῥεύματα, id eſt, deſtillationes vocãt, quatenus ad cutẽ retrahunt, conferunt: præſertim ſi abſit periculum augend

gendæ fluxionis. Sed & aduerſiſsima ſunt, quibus exſudoris copia anima deficit: augent enim affectum, cutem laxando, ac aperiẽdo, ſudoresq́; foras euocando. his igitur cutis denſari, ac refrigerari debet: quod fiet ægrotis ad auram refrigerantem conuerſis, aut cubiculi aëre in frigidam ſtringentemq́; qualitatem mutato. Mutatur autem fuſis humi myrti frondibus, vitium capreolis, alijsq́; ſimilem vim habentibus. Ineptiſsima vero ſunt, vbi venter defluxione tentatur: cutem refrigerant ac denſant: ſponteq́; currentem intrò humorem pellunt. Cæterum frigidum vinum in ſudoribus commode datur, quod & ſubſtantia vires reſarciat, & qualitate refrigeret habitum: vnde & ſudores reprimit, calidum vero mouet: in hoc igitur affectu dandum non eſt. Sed nec artus vinciendi ſunt, nec ad vomitum cogendi, nec vllo modo mouendi. Ligaturæ hic non ſolum non reuellunt (nullam enim habent cum parte, à qua proficiſcuntur ſudores: communitatem) ſed potius eos euocant: vomitus quidem ſuo motu calfaciendo corpus, ligaturæ vero dolore.

QVI verò humorum multitudine animo deficiunt, haud ita curantur: verum illorum artus plurimum fricandi ſunt, calfaciendi, ac ligandi. Cæterum à vino & cibis temperare debent, atq; etiã à balneis, ſi febris adſit: contenti mulſæ potu, in qua thymum, origanum, pulegium, vel hyſſopum

pum concoctum ſit. Confert autem & acetum mulſum.

Cum vacuari qui crudorum humorum multitudine laborant, deſyderent, iiq; nec ſanguinis miſsionem, nec purgans medicamentum ob pericula, quæ his ſuccedunt, ferant (nam trahenti medicamento non paret humoris cruditas, vnde ſyncope, exolutiones, & alia id genus incommoda ſuccedunt. Ex ſanguinis autem miſsione augetur cruditas) alia vacuatione eſt opus, nempe ea quæ frictione, calfactione, & ligatione partium extremarum paratur. Fricare enim linteis eos oportet, à cruribus incipiendo, ſuperne deorſum, deinde ab humeris pari modo: quod tantiſper faciendum eſt, dum abunde caleant, & humor digeri per eas partes poſsit: mediocres vero tum vigiliæ, tum ſomnus eſſe debent, vt mutuo iuuent: nam, quod ſomnus concoquit, vigiliæ digerunt. Ad hæc liganda extrema ſunt, vt foras humorem euocent. A vino quoq;, & cibis tēperare debent, atq; etiā balneis, ſi febris adſit. Galenus duodecimo Methodi medendi, curandæ cruditatis rationem ample tractat. Solam mulſam, atq; eam quidem paucam, per primos dies ſufficere ait: nec alium cibum aut ſorbitionem dandam eſſe: quando qui cruditate laborant, longā ſuſtinent inediam, cum corpus ex concoquendis crudis ſuccis alatur. Verum cum mulſa varie apparetur, magis enim minúſve coquitur: & per

ſe, &

ſe, & cum thymo, hyſſopo, origano, pulegio, ac ſimilibus: cruda quidem aluum magis ſubducit, & minus alit: cocta vero magis nutrit, & ventrem minus mouet: quemadmodum ea, in qua commemoratæ herbæ incoquuntur, vim habet incidendi: ſimplex vero hac dote caret. A balneis vero, ſi febris adſit, abſtinendū, vt quæ eam augeant. Confert *autem & acetum mulſum aßidue etiam adhibitum, niſi id aut ſtomachum lædat, aut æger faſtidiat. Nam ſic inuicem mulſa, & aceto mulſo vtendum eſſet. habet enim acetū mulſum vim incidendi humoris & detergendi.*

QVAE porrò ex vteri affectibus mulieres animo deſtituuntur, eodem modo curantur, excepto aceto mulſo. His etiā crura potius, quàm brachia deligāda ſunt, atq; perfricanda: & quemadmodum in larga fluxione mammis cucurbitulas admouemus, ſic quibus ſurſum reuulſus retractusq́; in latus eſt vterus, inguinibus & femoribus. Naribus quoque obiiciendi ſunt grauiſsimi odores, vtero verò ſuaues. Adhibenda item ſunt relaxantia ac calfacientia medicamina.

Animo deſtituuntur mulieres, quibus vel ſurſum vel ad latus retrahitur vterus, & quibus large mēſes fluunt. In priore affectu crura deliganda ſunt ac perfricanda, vt humoris copia quæ

quæ hos affectus parit, foras euocetur. Communitatem enim vterus per venas per quas poßit is humor deriuari, cum cruribus habet. hac ratione inguinibus & coxis admouendæ cucurbitulæ ſunt, quibus potenter trahendi facultas ineſt. Naribus quoq; obijcienda ſunt, quæ grauiter oleant: vtero vero, quæ ſuauem ſpirent odorē. Natura enim ad id quod obijcitur, ſi iucundū familiareq́; eſt, mouetur: ſin triſte alienumq́;, auerſatur. Oculus, verbi gratia, tenebras horret, & vehementem tum ſplendorem tum colorem refugit: vtrunq; vero mediocrē amplexatur. Auris violentos, tremulos, ſtridulos, & clangularios ſonos reſpuit, harmonias vero, concentusq́;, iucundiſsime audit. Ad eundem modum dulcis ſapor linguæ gratiſsimus eſt: amarus, auſterus, & acer omnino ingratus. Tetrum odorem nares reijciunt: ſuauem aūt blandiſsime recipiūt. Tāgendi quoq; organo vehemēter calida, frigida, aſpera, pungentia, incidentia, contundentia, diuellentia, & id genus alia, quæ dolorem inuehūt, inimica ſunt: Mediocriter vero calida, frigida blandeq́; palpantia, & quæ voluptatē inferunt, amica. In ſumma commoderatis omnibus natura adblanditur: contrà immoderata auerſatur. Eadem quoq; ſentiendi organa non ſolum ſe mutuo ad amplexādas fugiendásve huiuſmodi res, ſed & alias ad hoc partes inuitant, tantus eſt partium corporis conſenſus. Nam ſtomachus inſpecto in-

grato cibo nauſeare ſolet, & dentes auribus conſentiunt, ſi aſperum ſonum, qualis limando ferro eliditur, audiant. Contrà ſi ſonus mirifice delectet, totam naturam huc conuerſam videbis. Mirum itaq; nō eſt, ſi ad ſuauem odorem, vtpote naturæ familiarē vterus ſeſe conuertat, tetrum vero refugiat. Præterea medicamēta quæ laxandi calfaciendiq́; facultate ſint prædita, adhibenda ſunt, vt materia quæ hūc affectū procreat, reſoluatur. In vteri vero largo profluuio mammis cucurbitulæ figendæ ſunt, vt poſtea docebimus.

SI vero ex ſtomachi imbecillitate animi deliquium ſequatur, imponere quæ roborandi vim obtineant emplaſtra, qualia ſunt, quæ ex palmulis conficiuntur, vino, polentis, croco, aloë, & maſtiche: perfundere verò oleo abſinthino, melino, maſtichino, nardino, œnanthino, & vino oportet. Aeſtuante autem ſtomacho, aliquid quod refrigeret miſcendum eſt: qualis eſt cucurbitæ, lactucæ, portulacæ, ſolani, ſeris, & vuæ acerbæ ſuccus. Hæc enim non ſolum refrigerat, ſed & aſtringit. & aqua frigida ardenti ſtomacho plerunq; confert, opportune data, alioqui magnopere lædit. Imbecillo autem ſtomacho vinum calidum potius dandum eſt, modo nihil aliud prohibeat: eiuſmodi autem ſtomachi, frictionibus extremarū partium

tium mirifice iuuantur. Quòd ſi ex his nihilo melius habeant, exæſtuantes quidem celerrime ad balnea ducendi ſunt. His vero qui alicuius frigoris ſenſu afficiuntur, medicamentum quod triplici pipere conſtat, διὰ τριῶν πεπέρεων vocant: ſolumque piper, & abſinthium in potu dandum eſt. Qui vero ex vitioſis humoribus os ventris mordentibus exanimantur, epota vel aqua calida, vel hydrelæo vomere iubeantur. At ſi non facile vomant, prius partes ſtomacho adiacentes, & manus, & pedes, calfaciendi ſunt. Quòd ſi ne ſic quidem vomere poſsint, immiſsis in os vel pennis vel digitis, ſtomachus irritandus eſt: Sin neque ſic vomant, rurſus oleum calidum quàm optimum adhibendum eſt. Id autem ſæpe non ſolum vomitum prouocare, ſed & ventrem mollire ſolet: id quod non parum ad rem de qua agitur facit. Quocirca niſi ſponte accidat, arte procurare oportet: maxime vero appoſitis remediis, ex quibus, ſi facilius vomat, abſinthij coma aqua mulſa incocta, in potu danda eſt, deinde vinum: modisq; omnibus roborandæ partes ſunt, tum medicamentis forinſecus impoſitis, tum abſinthij potu. At non per initia quidem, ſed pòſt, repurgato iam ventre, id faciendum eſſe ſuadeo: quando ſi ſuccos con-

tineat, aſtringendus non eſt, ſed calfaciendus, vt prius dictum eſt. Si vero frigida pituita in ore ventriculi collecta ſit, plurimum fouere oportet oleo, in quo abſinthium decoctum ſit: deinde mulſam dare, in qua vel hyſſopum, vel id genus aliud maduerit, & acerum mulſum, & piper, quódque ex triplici pipere conſtat medicamentum, διὰ τριῶν πεπέρεων dicitur, & dioſpoliticum. Victus autem ratio omnino incidendi facultate ſit prædita.

Imbecillitas eſt, quæ potentiã à ſuo ſcopo aberrare facit: quod accidit ſua ipſius ſubſtantia læſa, aut inſtrumentali morbo parte obſeſſa, aut vnitatis ſolutione. Potentiæ ſubſtantia offenditur intemperie, interdum quidem nuda, interdum vero cum humore. Intemperiem autem ſequitur ſubſtantiæ reſolutio, maior aut minor, pro affectionis magnitudine: quæ ſi leuis ſit, ſolam imbecillitatem: ſi vero magna, non hanc ſolum, ſed & morbum affert. Tota igitur ratio eò ſpectat, vt naturalis temperies ſeruetur: ſubſtantia quæ periit, inſtauretur: & ſi affectus magnitudine potentiæ ſubſtantia reſoluta ſit, hanc firmare oportebit. Cum igitur non ſolum ſtomachi, ſed & aliarum partium octo ſint intemperantiæ, calidam refrigerare, frigidam calfacere, humidam exiccare, & ſiccam humectare conueniet. Contrariorum enim contraria ſunt remedia:

media: & ſi periŋt ſubſtantia, eam cibo vel potu reficere oportebit. Quòd ſi tantus ſit earum qualitatum exceſſus, vt etiam potentiæ ſubſtantia diffluat, aſtringentia quæ ipſam firment adhibenda ſunt, cum in aliarum partium, tum in ſtomachi, ventris, & iocinoris affectibus: quorum perpetuo robur ſeruandum eſt. Quoniam rurſus ſtomachus magis ex humorum abundantia, quàm nuda intemperie, laborat, vt autor eſt Galenus, ideo exiccantia medicamenta deſiderat. Itaq; in ſtomachi imbecillitate medicamenta ex palmulis, polentis, & aliŋs, ab autore enumeratis, conueniunt: vt quæ & exiccent, & imbecillum ſtomachum roborent. Quod ſi ſtomachus vratur, refrigerantia adhibenda ſunt, qualis eſt cucurbitæ ſuccus, lactucæ, portulacæ, ſeris, & vuæ acerbæ: quæ præter id quòd refrigerat, etiam exiccat. Nam vbi aliqua qualitas inualuit, per contrariam illi qualitatē eſt ſuccurrendum. Itaq; frigidæ potio æſtuanti ſtomacho opportune adhibita, prodeſt. Aeſtuat autē ſtomachus nonnunquam ex nuda caliditate, interdum adiuncto humore ſeu putredinem ſeu inflammationem procreante: is enim cum digeri debeat, frigidam non expoſcit. At ſi ſola caliditas adſit, frigida intrepide danda in potu eſt, præſertim ſi ea vti æger conſueuit. Vinum quoq; ſtomachi imbecillitati prodeſt: tum quòd natiuum calorem auget, tum quòd labentem animum releuet. Ca-

lidum autem adhibetur, quoniam frigiditatem imbecillitas non ſuſtinet. Quòd ſi inflammatio, vel id genus aliud internum malum, occuparet, à vino eſſet temperandum: vt quod affectum augeret. Frictiones quoq; extremarum partium hoc modo affecto ſtomacho proſunt, foras calorem aut humorem euocando. Quæ ſi parum profecerint, exuſti quidem ad balnea ducendi ſunt, ſcilicet madore in corpus immiſſo humectantia, & potentia refrigerantia, vt prius eſt dictum. Si vero frigus ſentiant, vti medicamẽto debent, quod dia trion pipereon vocant, ſoloq; pipere: calfaciendi enim vim obtinent. Nam pro eo quod exuperat, eo vſq; contrarium inducendum eſt, quoad pars ad ſymmetriam & naturalem habitum reducta ſit. Hac ratione abſinthium adhibendum eſt. Qui vero ex bilioſis ſuccis os ventris mordentibus exoluuntur, vel aqua epota, vel hydrelæo vomere iubeantur. Nam hic humor ſuapte natura ad ſuperiora tendit. vomitio autem commode fit, vel aqua epota calida, vel hydrelæo: ſtomachum enim humectant, laxant, emolliunt, & ad motum aptiorem reddunt, vnde minori moleſtia vomunt: præterea humoris acrimoniam obtundunt. his, ſi facile non vomant, manus & pedes prius calfaciendi ſunt, vt relaxatis his partibus minore periculo ſtomachus, quocum per neruos eiuſmodi partes communicant, moueatur. Quòd ſi nec ſic quidem vo-

mere

mere poßint, immißis in os vel pennis vel digitis irritandus eſt. Vbi enim ſtomachus hebetioris ſenſus eſt, non niſi à magna cauſa mouetur. Igitur non ſolum immittendi in os digiti vel pennæ ſunt, ſed & oleum quàm optimum calidum eſt adhibendum, quod non ſolum vomitum ciet, ſed ventrem fluidum reddit. Quocirca niſi ſponte vomitus fiat, iuuandus eſt appoſitu, fotúq; calido ſtomachi partibus admoto. Ex quibus ſi facilius vomat, abſinthij coma in mulſa decocta, in potu danda eſt: firmat enim, vt modò dicebatur, ſtomachum humoribus & vomitionibus reſolutum. Deinde vero vinũ dandum eſt, vt labefactatæ vires inſtaurentur, celerrime enim reficit. Poſtea modis omnibus roborare ſtomachum oportet, vniuerſo corpori alendo neceſſarium: roboratur autem tum impoſitis foris medicamentis, ſecundum methodum prius declaratam, tum abſinthij potu, quod aſtringendo robur reſtituit. Ideo dari antequam venter purgatus ſit, nõ debet, ne humores ſtomacho figat, & ad excretionem contumaciores reddat. Si vero frigida pituita in ore ventriculi collecta ſit, plurimum fouere oportet oleo, in quo abſinthium decoctum ſit: deinde mulſam dare, in qua vel hyſſopum, vel aliud id genus maduerit. Et acetum mulſum, & piper, & medicamentum, quod quia ex tribus piperibus cõſtat, διὰ τριῶν πεπέρεων, vocant: & diſpoliticum. Foris quidem admoueri

debet abſinthium, vt robur parti inſeratur, & pituita non cogatur. Intrò vero ſumenda, quæ eam pituitam incidant ac detergant. Incidit autem acetum mulſum, dia trion pipereon, & dioſpoliticum. Detergit vero mulſa. Incidi enim pituita ob lentorem deſiderat. ideo victus ratio hac facultate prædita eſſe debet.

EX vehementi autem refrigeratione defectiones non aliter, atque bulimum, id eſt ingentem famem curamus: nimirum calfacientes modis omnibus. itaque vinum in potu dandum eſt calda temperatum, cibique calfacere idonei. Fricare quoque eiuſmodi ægrotos oportet, ad ignemque calfacere.

Refrigerati, & qui bulimo, id eſt inſatiabili fame laborant, eadem methodo, nempe calfaciendi, curantur. Bulimos enim ab externo frigore, quale contingere ſolet in longo itinere, per gelu & niuem ortum habet. Hunc affectum ſequitur membrorum inanitio, ſpirituum defectio, & virium lapſus. Itaque omni ratione calfacere oportet: hoc eſt cibo, potu, medicamentis, odoribus, frictionibus, & alijs id genus, quæ corpus calfacere idonea ſunt.

QVAE vero ex ſuperuacuo calore ortum habent, refrigerantia ac roborãtia deſiderant. His enim maxime accidunt, qui diutius in aëre æſtuoſo, & balneis verſati ſunt.

ſunt. In præſens igitur robur his reſtitues, ſi frigidam inſpergas, ac ventiles, & auræ exponas, osque ventris frices ac irrites: poſtea vino & cibo reficias.

Superuacuus calor intrò quidem inſpiratus & per arterias tractus natiuam principiorum temperiem immutat ac ſpiritus ſubſtantiam, quam & extenuat & diſsipat, ſuo vero contactu cutem laxat & aperit: vnde facile ſpiritus exhalat. itaque refrigerare oportet aëre frigido, tum inſpirato, & per arterias attracto, tũ corpori admoto. ſic enim principia ad natiuam temperiem reduces, & ſpiritus diſſolutionem impedies. non ab re igitur ad auram frigidam conuertere ægrotum oportet, frigidam inſpergere & ventilare. Os vero ventris perfricare ac irritare, vt vis conſopita excitetur. His verò peractis vino ac cibo reficere oportet. Nam ſic vires firmabis. cum enim & alteratione, & corruptione ſuæ ſubſtantiæ labent, reparari debent, oppoſitam qualitatem inducendo, & ſubſtantiam perditæ ſimilem reparando. In hoc autem quo de agitur affectu, ſpiritus ſubſtantia maxime perit, ideo quod hanc celerrime reſarciat, adhibendum eſt: cuiuſmodi vinum eſt, & cibi facilimæ coctionis.

At quibus ob inflammationis magnitudinem, aut vehementis febris malignitatem, in acceſsionibus animus deficit,

quiq́ue refrigerantur, eorum artus fricare, ac calfacere, cruraq́;, ac manus ligare: vigilias imperare, cibum potumq́; in totũ circuncidere oportet. Optimum porrò in his quid futurum ſit prænoſſe, & ea ante febris acceſsionem efficere.

Viſcerum & internarum partium inflammationes, & malignæ peſtilentesq́; febres augentur per acceſsionum initia; interdumq́; refrigerantur externæ partes intrò reuocato calore & ſanguine, vnde anima plerunq; deficit. Quod cũ accidit, fricandæ, calfaciendæ, ac vinculis ſtringendæ extremæ partes ſunt, vt foras reſiliant ſpiritus & humores. hac ratione vigiliæ imperandæ ſunt, vt quæ foras calorem & ſanguinem appellent, proindeq́; febrem ac inflammationem augeri prohibeant. Cibus & potus in totum demuntur, ne pars eorum intrò delata materiam augendæ inflammationis ſuggerat. Quòd ſi futurum hoc incommodum præuideamus, ante acceßionem commemorata iam remedia adhibemus.

QVIQVE ex ſiccitate per acceſsionum initia in ſyncopen labuntur. Nam ſi duabus tribúsve horis ante acceſsionem cibaueris, & pedes & manus contineri iuſſeris, ſeruari poterit. Cibus autem coctu facilis ſit, & ſtomacho accommodatus. Quòd ſi vehemens fore periculum ſuſpiceris, vinum maxi

maxime alicæ elixæ ſuperfuſum dare anticipabis. Loco autem alicæ panis eadem vtilitate adhiberi poteſt. Si vero mediocris ſyncope expectetur, vino opus non eſt: ſed tunc abunde feceris, ſi mala punica, vel pyra, vel mala, vel pomum aliud quodpiam, ſtringendi facultate donatum, cum cibis miſcueris. Poſt hæc vero ſi moderate acceſſionem ferant, cum iterum cibantur, pomorum vſus neceſſarius non eſt. Hæc quidem agenda ſunt, ſi quod futurum eſt præſenſeris. Si qui vero inopinatò in hoc diſcrimen inciderint, vini calidi, panis & alicæ cum eo calidæ momentum dare debebis. Nam ſi largiorem, aut coctu difficiliorem hoc modo affectis cibum dederis, non ſolum in ſyncopen perducentur, ſed omnino ſuffocabuntur.

Vt non eſt vnus ſiccitatis modus, ſic nec vnum omnibus periculum accidit. Quandoq; enim primarum ac ſimilariū, vt ſic dicam, partium ſubſtantia ſolida exiccatur, interdum caro & adeps liquantur, nonunquam autem propria humiditas rori ſimilis qua corpus alitur, abſumitur. Aliquando verò exiles venæ & arteriæ cuiuſcūq; partis inaniuntur. Primum ſiccitatis genus curationem non admittit: ſecundum & tertium difficilem: quartum vero omnium facilimam.

Febris

Febris autem vehemens primum humores abſumit, ac ſpiritus diſsipat: deinde ſenſim, ſi perſeueret, alias ſiccitates inducit. Has autem omnes ſequitur aliquando ſyncope: periculoſior quidem, priores tres: leuior autem poſteriorem, niſi admodum ingens ſit. Nam ſi magnam ſanguinis & ſpirituum penuriam vehemens febris acceſſio inuenerit, periculoſam adfert ſyncopem: ut quæ ſpiritus reliquias diſsipet. Itaque optimum eſt hoc incommodum præſentire, ne expectata ſine remedijs acceſsione, in id incidamus: quod vbi præuiderimus, occurrere poterimus, cibantes ægrotum duabus tribúsve horis ante acceſsionẽ, iubentesq́; , vt pedes & manus, ſine agitatione contineat. Cum enim corpus ſpirituum penuria laboret, nec melius reparari, quàm cibo & potu poſsint, hi duabus tribúsve horis ante acceſſionem adhibendi ſunt, facilis quidem coctionis & ſtomacho grati, ne naturæ negotium faceſſant, ſed potius roborent. Quoniam autem ſpiritus qui ex ſumpto cibo conficitur, durare in finẽ acceſsionis debet, ideo in lecto ægrum ſine pedum manuumq́; agitatione continere oportet, quò & concoctio melius fiat, & minus ſpiritus diſpergatur, ac diſsipetur. Quòd ſi vehemens periculum timeatur ob magnam ſpiritus inopiam, dandum eſt quod abundantiam huius ſuggerat ægre diſsipabilem, quale vinum eſt & alica, vel panis (eandem enim alicæ vim obtinet) vinum

quidem

quidem copioſum ſpiritum, alica autem craſſum & qui non facile digeratur parit. Quòd ſi mediocris ſyncope expectetur, vinum dandũ non eſt, quando & febri obeſt, & multo ſpiritu opus non eſt. Satis enim facient mala granata, cotonea, pyra, aliíq; ſtringentes fructus cibis permiſti: non quòd velimus corporis ſubſtantiam ſtringere (omni enim ſiccitati inimica aſtringentia ſunt) ſed cibum tardius digeri, & ſpiritum minus diſſipari, vt in acceſsionis finem durare poſsit. Igitur ſi acceſsionem facile ferant, aſtringentium vſu opus non erit: quando nullum periculum timetur. Hæc quidẽ ante acceſsionem, vbi ſyncope imminet, agenda ſunt. In quam ſi inopinato æger inciderit (ſæpe enim nobis non aduertentibus hæc accidere ſolet) vini calidi, panis, & alicæ cum eo calidæ momentum adhibendum eſt, vt celeriter & ſine magno naturæ negotio ſpiritus reparetur. Nam ſi largum cibum vel coctu difficilem dederis, non ſolum ſyncopen induces, ſed & omnino ſuffocabis ægrotum. Sicuti enim flammulam largum oleum ſuperfuſum extinguit, ita exiguum calorem natiuum maior cibi copia obruit ac ſuffocat.

QVIBVS autẽ animus ex inſignis partis obſtructione deficit, acetum mulſum dandum eſt, potioque ex hyſſopo, origano, pulegio, & melle: & cibi ex eorum qui valenter incidunt genere. Craſsi enim ac glutinoſi

tinoſi magnopere in hoc affectu lædunt. Nihil vero obfuerit artus perfricare ac ligare. Sed & vtiliter potiones, quæ ciendæ vrinæ facultatem habent, adhibentur: quales ex anetho, fœniculo, apio, petroſelino, ami, dauco, & ſpica nardi ſunt, quæ vbi iam manifeſte iuuerint, vino albo ac tenui non admodum vetere vtendum eſt. Noſcuntur autem huiuſmodi obſtructiones, cum ex aliis pulſuum inæqualitatibus, tum maxime ex his quæ in magnitudine & paruitate, vehementia & debilitate inueniuntur, modo adiuncta ſyndrome, id eſt concurſu, quam pletoricam vocant, non fit. Ea enim communes cum obſtructione inæqualitates obtinet. In eiuſmodi autem affectibus, ſi quidem magni ſunt, pulſus intermittunt. Verum hæc fuſius in libris de Pulſibus ſunt explicata.

Inſignes partes, & principes opportunæ vniuerſo corpori, ſunt cerebrum, cor, iecur, ſtomachus, pulmo, & principes arteriæ, quæ ſi obſtructæ ſunt, animi deliquium adferunt, ſcilicet ſpiritu ſuffocato, & virtute degrauata, vti prius dictum eſt. Igitur acetum mulſum in huiuſmodi affectibus vtiliter datur, quod craßitudinem obſtruentis humoris incidat, ac detergat: eadem vi prædita eſt potio, quæ ex hyſſopo, origano, pule-

gio & melle conficitur: qualem perpetuo affectus is deſyderat. Igitur vniuerſa victus ratio incidere debet. Craſſa enim ac glutinoſa aduerſiſſima eſt, vt quæ obſtructionem augeat, quam delere modis omnibus oportet. Itaq; proſunt frictiones, & ligaturæ extremarum partium: quæ ſcilicet foras humores euocando obſtructiones minuunt. Eadem ratione potionibus vtendum eſt, ex anetho, fœniculo, ami, dauco, & ſpica nardi: quæ & humores tenuant, & vrinas prouocant. Deinde vero vinũ album tenue & non admodum vetus dandum eſt: ſed nõ antè, quàm illa manifeſtiſſimè iuuerint, quando augendæ obſtructionis periculum adferret. Celeriter enim ad vrinæ vias permeat, ſecumq; humores, ſi qui in corpore ſint, rapit. Noſcuntur autem eiuſmodi obſtructiones cum ex alijs pulſuum inæqualitatibus, tum maxime ex his quæ in magnitudine & paruitate, vehementia & debilitate fiunt, modo adiuncta ſyndrome, quam plethoricam vocant, non ſit: quæ & communes cum obſtructione inæqualitates habet. Oſtenſum eſt duplicem eſſe pulſuum inæqualitatẽ: alterã quæ in vna pulſatione fit, alteram quæ in pluribus, quam ſyſtematicam appellant. Hæc autem obſtructiones ſequitur, humorum redundantiam, compreſſionem & duritiem inſtrumentorum, & cordis inæqualem intemperiem. Quæ cauſæ ſi magnæ ſunt, non ſolum inæqualem, ſed intermittentem

pulſum

pulſum reddunt. Inæqualem dico, qui non perpetuo eandem ſeruat magnitudinem, paruitatem, celeritatem, tarditatem, vehementiam & debilitatem, & pulſus reliquas differentias. Maxime autem inæqualitatem in magnitudine & paruitate, vehementia & debilitate deprehendit tactus. Intermittens enim pulſus ex inæqualitate raritatis & paruitatis conſtat. Raritatis quidem, cum quies eſt lōgiſsima: paruitatis vero, cum minimum diſtenditur arteria. Cum igitur ſyndrome plethorica, id eſt concurſio ſignorum plenitudinis humorum non apparet, nec vlla eſt ſuſpicio compreſsionis aut duritiæ inſtrumenti, cordiſq; intemperiei, certum eſt hanc pulſus inæqualitatem, aut interceptionem ab obſtructione profectam eſſe.

NVNC vero ad reliquarum animi defectionum diſputationem tranſeamus: cuiuſmodi eſt, quæ ex abſceſſus vel ruptione vel ſectione, & immodica in his qui aqua intercute laborant, vacuatione fit. Satis enim ad præſens fuerit rebus odoris hos reficere, paulò pòſt autem ſorbitiones coctu faciles adhibere.

Abſceſſus vel ruptionem vel ſectionē immodicamq; in hydropicis vacuationem ſequitur ſpiritus diſsipatio: hanc autem animi deliquium. igitur odores obijciendi ſunt ad præſentem virium reparationem. Odora enim ſpiritus ſub-

ſtant

ſtantiarum cognatione reparant. Deinde ſorbitiones, quæ coctionem facile admittant, dandæ ſunt: vt non ſolum ſpiritus, ſed & humor reſarciatur.

AT ſi ob triſtitiam, lætitiam, timorem, excandeſcentiam, aut pauorem animo conſternantur, odoramentis & narium cōpræhenſionibus refocillati ad vomitum cogendi ſunt.

In triſtitia, timore & pauore intrò ad originem reuocatus ſpiritus abſumitur. In lætitia verò foras ſpargitur ac diſsipatur. In excandeſcentia primum intrò fertur, deinde foras reſilit. Vnde animi defectum cū affatim ſpiritus perit, ſequi neceſſe eſt. Primum igitur is refici debet, vti modo declaratum eſt, nempe rebus odoriferis naribus obiectis: deinde excitanda virtus narium prænſationibus & vomitionibus.

AD eundem modum, ſi qui ex vulneribus, purgationibus, doloribusque articulorum, neruorum, & chordarum muſculorū, animo deficiant, in primis reficere, poſtea vero idoneum affectui remedium præſtare oportet.

Eadem cum antè dictis ratione animi defectus ex vulneribus, purgationibus, & doloribus articulorum, neruorum & tendonum curantur: nempe primum reparatis viribus, deinde primario affectui idoneis remedijs adhibitis. Quoniam

igitur vulnera, purgationes, & dolores ſpiritus ſubſtantiam diſsipant, primum hanc reficere oportet, ad modum prius declaratum, hoc eſt odoribus & ſorbitionibus. Poſtea vero affectum primarium curare, nimirum vulnera, ſi ſimplicia ſunt, glutinando, ſin cum cauitate, primum carnem generando, deinde glutinando, vt fuſiſsime docet Galenus lib. xxx. Methodi medendi: immodicas vacuationes ſiſtendo: dolores, ſi vrgeant, anodynis: ſi non vrgeant, cauſas, quæ eos generant, abigendo.

SI vero colicos affectus, aut ilioſos, aut eorum aliquem qui vehementer affligunt, animi deliquium ſequatur: affectarum partium fomentis calidis, & extremarum frictionibus animus reſtituitur.

Dicebamus modo primum eſſe ſymptomati, hoc eſt deliquio animi intendendum, deinde affectui ſymptoma inferenti: deliquium autem abigimus ægrũ reficiẽtes, affectus vero idoneis remediis, alios aliis. Quoniam igitur dolor, animi defectum adfert, dolorem vero alia cauſa: primum defectui ſuccurremus, deinde dolori, ſi quidem vehemens ſit: ſin minus, cauſis hunc adferentibus. Dolorem adferunt alteratio violenta confertim facta, & vnitatis ſolutio, & partis quæ afficitur, ſenſus. vehementer autem & confertim alterãt calor, & frigus, proindéque dolorem vehementem mouent: humiditas vero non tan-

tum vt excitare dolorem poſsit, ſiccitas autem vt leuem. Continuitatem autẽ ſoluunt rumpentia, contundentia, erodentia & ſecantia. Rumpunt etiam quæ diſtendunt. Hæc rurſus à forinſecus incidentibus fiunt, aut ab aliqua interna ſubſtantia, quæ multitudine ſua corpus ſe continens diſtendit, cuiuſmodi ſunt humores, flatus & vapores. Immodica quoque ſiccitas diſtendit. Contundunt dura, vel magna, vel grauia, foris incidentia. Erodunt autem humores, vel vapores mordaces, aut aliud quidpiam forinſecus adueniens, cui mordendi ac exedendi vis inſit. Cum igitur per doloris leuitatem cauſis prouidere liceat, videndum eſt quænam dolorem attulerit, atq; ea abigenda eſt. Verbi gratia, frigus calfacientibus, & calor refrigerantibus. Diſtendentia & erodentia vacuantibus. In colicis igitur, & ilioſis, aliisq; affectibus vehementem dolorẽ inferentibus, ſi humoris copia adſit, is vacuandus eſt: ſin flatus, calidis fouendus, vt materia flatulenta digeratur, dolorq; calore quaſi anodyno remedio demulceatur. At ſi acrimonia laboret, ἐπικεραστικὰ, id eſt, quæ immiſta acrimoniã ſua ſubſtantia temperant ac obtundunt, ex vſu ſunt cuiuſmodi eſt lac. Proſunt & frictiones extremarum partium: ſcilicet infeſtantem materiam ab affecto loco euocantes. Si quis exactius cupiat hanc curandi rationem noſſe, legat Galeni Methodi medendi librum duodecimum.

QVAE vero ob propriam virtutum corpus noſtrum moderantium imbecillitatem, animi defectiones fiunt, ab intemperantia earum partium vnde vires proficiſcuntur, contractam, cõtraria intẽperantia curari debent: nempe frigidam calfaciendo, calidam refrigerando, atque in aliis eadem ratione. Vitalis quidem virtus, quam è corde prodire docuimus, ex pulſuum debilitate deprændenditur. Quæ autem ex iecore oritur, hanc altricem vocant, ex cruentis alui deiectionibus initio quidem aquoſis, & tenuibus, deinde vero amurcæ in modũ craſſis. Quæ vero ex cerebro originẽ ducit, animalem, nonnulli peculari nomine vocant, arbitrarij motus imbecillitate dignoſcitur. In alio autẽ opere de eiuſmodi affectibus, ex quibus multa ſunt à medicis prætermiſſa ſeorſum tibi conſcribemus.

Res hæc notior eſt quàm quæ demõſtrari debeat. Contraria enim contrariorum perpetuo ſunt remedia. Si igitur virium imbecillitas ex principum partium alicuius intemperantia fiat, cõtrario exceſſu reſarciẽda eſt, calida quidẽ frigidis, frigida calidis, humida ſiccis, & ſicca humidis. Imbecillitatem autem hanc cognoſcemus, vitalis quidem virtutis ex pulſus imbecillitate. Nam ſi is ex ſe languidus ſit, neceſſario infirma

facul

facultas eſt. Per ſe autem languidum eſſe depræhendimus, cum perpetuo talis manet: cum vero nunc languidus, nunc vehemens eſt, facultas non ex ſe imbecilla eſt, ſed humorum abundantia degrauatur. Altricis vero imbecillitatem cruenta alui excrementa, primum aquoſa & tenuia: deinde, vt par eſt, amurcæ modo craſſa. Nam quod liquidius eſt, primum fluit, deinde craßius, præſertim cum fluxio non à vi excretrice, ſed contentricis imbecillitate fit. Cum autem cruentorũ excrementorum quatuor ſint ſpecies: duæ iam cõmemoratæ, nempe aquoſorum & craſſorum, tertia vbi ſanguis paulatim fluit, quarta vbi paulatim, & breuibus interuallis diſtillat: primæ duæ imbecillitatem iecoris indicant: tertia membrum aliquod mutilatum, vel retentionem ſolitæ excretionis: quarta vero, vlcus inteſtinorum. Duæ igitur primæ ob iecoris imbecillam alteratricem: & contentricem facultatem fiunt. Hanc humiditas ſuperuacua: illam frigiditas ſeu ſola, ſeu cum ſiccitate aut humiditate coniuncta infirmam reddit. Animalis facultas triplex eſt: motrix, ſenſilis, & princeps. Rurſus ſenſilis, altera propria, vt videndi, audiendi, odorandi, & tangendi: altera communis, vt vigilandi, dormiendi. Princeps autem triplex: imaginandi ſeu apprehendendi, cogitandi, ac memorandi: harum omnium actiones cerebri affectum teſtari poſſunt: maxime motricis actio, vt in quam obeũdã

magna vis à cerebro diſtribuatur. Siue enim abolitus, ſiue deprauatus, ſiue diminutus & languidus corporis motus ſit, ſemper cerebri affectus declaratur. Pari modo ſi aliarum virtutum actiones aut omnino perierint, aut deprauatæ aut diminutæ ſint, ſuæ originis affectum fatebuntur.

QVONIAM autem hactenus ſymptomata diſputando proſecuti ſumus, rurſus ad ea, quæ initio propoſita ſunt, redeamus: vnũ omnium communem ſcopum habentes: nempe cauſæ, à qua hæc omnia fiant, contemplationem: ipſa enim conueniens remedium tibi oſtendet: velut in capitis dolore, ſi quis cibum faſtidiat, & ſtomachi roſionem ſentiat, vomere iuſſus vel bilem, vel pituitam, vel vtrunque vomitione eiiciet. Nulla vero nota ventris affectum teſtante, conſiderandum, num repletio, vel obſtructio, vel inflammatio, aliquam capitis partem obſideat: quod inueniemus, primum quidem interrogantes, num dolor in vniuerſum caput ſparſus ſit, an in parte quapiam vehementius inſideat. Poſtea vero, an cum grauitate, diſtenſione, morſu vel pulſu affligat. Si enim cum grauitate vrget, multitudinem: cum morſu autem, acrimoniam vel vaporis vel humoris: cum pulſu,

inflammationem : cum diſtentione autem, citra grauitatem quidem , ac pulſum , cru-di ac flatulenti ſpiritus copiam , cum pulſu vero, membranaceæ ſubſtantiæ inflammationem : cum grauitate vero , retentam in membranis multitudinem indicat. His igitur omnibus diſtinctis , cauſa , vnde ſingula proficiſcuntur , eſt conſideranda. Siquidem illa curandi rationem tibi commonſtrabit, vt cum vel vaporis vel humoris copia contineatur, cõſiderandum eſt, an ob febris magnitudinem fuſi ac velut feruefacti humores caput ſubierint, an propter partis imbecillitatem , an totius corporis plenitudinem : hanc etenim facile curaueris, nimirum corporis vniuerſi vacuatione. Eam vero quæ ob partis fit imbecillitatem , partim quidem reuocando in totum corpus, partim vero affecto loco remedia adhibendo. Reuocamus quidem acribus clyſteribus , & vinculis , ac multis infernarum partium frictionibus, ſanguinis etiam nonnihil, ſi ita neceſsitas vrget, detrahendo. Parti autem medemur , interim dum in corpus totum retrahimus , ea capiti inſpergentes quæ repellendi vim obtinent : deinde vacuantes : poſtea verò roborantes. Repellit quidem oleum omphacinum aut aliquod aliud ſimile : quale eſt oxyrrhodinum : &

ipſum roſaceũ per ſe: & quæ ex papaueris calycibus, ac teneris oleæ termitibus, hederæ corymbis, viridi menta, & ſiſymbrio, temperantur: quibus in crudiore quidem & frigidiore plenitudine tepidis vti licet, frigidis verò in calidiore, ac bilioſiore. Vacuat autem ac digerit oleum calidum ſolum, præſertim ſi vel vetus, vel ſicyonium ſit, aut ſi anethum in ipſo fuerit concoctũ: hæc enim abunde vacuant humorum plenitudinem, non quidem omnino craſſorũ ac lentorum: ſed & ſi vel ſpondylium vel ſerpillum, oleo incoxeris, vel pulegij comã, vel calaminthæ, aut mentæ, & ſiſymbrij, craſsiorem etiam humorem vacuabis. Eadem quoque robur quoddam partibus inſerunt, ac debiles confirmant. His itaque continenter vſque ad integram curationẽ eſt vtendum. Et ſi res poſtulat, etiam per nares & palatum purgabis, ſternutamentaque ciebis. Quòd ſi ad balnea hominẽ deduxeris, caput ſiccis linteis perfricabis, ſalemque & nitrum ac ſinapim ſine oleo inſperges. Hæc quidem ſunt dolorum capitis, ex eius partis imbecillitate remedia. Cũ vero ex febris magnitudine dolor accidit, remediaque efflagitat, frigidæ tum qualitates tum virtutes, & quæ ex hydrelæo, oxyrrhodino, & papaueris calycibus fiũt perfuſion

ſiones, auxiliantur.

Doloris differentiæ ac qualitates ſumuntur à cauſis, quæ hunc adferunt, & à partium, quibus ineſt, natura. Afficiuntur autẽ dolore partes, aut primario, aut partium conſenſu: velut ſi ſtomachus, aut venter, aut iecur, aut vniuerſum corpus laborat, caput affectus particeps efficitur: quod fit tranſmiſsis illuc prauis vel humoribus, vel vaporibus. Generãtur autem in ſtomacho vapores ob caliditatis natiuæ penuriam, ac partis imbecillitatem, quæ ex cibo & potu vaporoſum ac flatulentum ſpiritum parit: internamq́; capacitatem implet, ac diſtendit: diſtenta vero dolore premitur. Nonnunquam humor vel ibidem genitus, vel aliunde accitus, interdũ & cibus illic corruptus dolorem hunc procreat: eodem modo iecur, venæ, & vniuerſum corpus, cum capite affectum communicant. Ipſum vero caput primario afficitur, ab intemperantia, vel ſimplici & ſine humoris conſortio, vel cum humoribus & vaporibus: ijsq́; vel calidis, vel frigidis. Interdum vero à ſola plenitudine: nonnunquam etiam ab obſtructione, quæ vaporem expirari prohibet. Ab imbecillitate etiam partis fit, quæ facile humores, vel vapores ab alijs partibus tranſmiſſos recipit, vel in ſe parit. Sæpe vero ab aliqua euidente cauſa, vt frigore, æſtu, caſu, plaga, & temulentia. Doloris etiam quali-

tas depræhenditur, vt dixi, tum ex cauſa, quæ hunc attulit: tum ex partis, quæ afficitur, natura: ſi quidem diſtendit ſine vlla vel grauitate, vel pulſatione, à copia ſit flatus crudi. Si vero cũ diſtentione adſit grauitas, humor abundare ſignificatur. Si cum diſtentione pulſet, inflammatione membrana tentatur. Si rodere videatur, acrem mordacemq́; hunc humorem eſſe conſtat. Si pulſet dolor, inflammatio locum occupat arterioſum. His ita explicatis, conſyderanda cauſa eſt, quæ affectum attulit. Hæc enim curandi viam commonſtrat. Interdum enim humor vel acer, vel pituitoſus ſtomachum infeſtans, cũ capite dolorem communicat: præſertim ſi caput hos prompte recipiat, & ſtomachus, vel venter, vel iecur aut generet, aut aliunde recipiat: vel ob ſentiendi præſtantiam, aut debilitatem facile iniuriam hanc admittat. Ad hunc modum ſi vniuerſum corpus prauis humoribus abundat, caput, præſertim imbecillum, hos prompte recipit. Cum igitur ſtomachus, aut venter humòrum vitio ita vexatur, vomitus ciẽdus eſt, epota quidẽ aqua calida, ſi facile vomant: ſin ægre, immittendi in os vel digiti, vel plumæ ſunt. Quòd ſi ne ſic quidem iuuentur, cibus boni ſucci ſtomachóque vtilis, & quo vti æger conſueuerit, adhibendus eſt, vt eo humoris acrimonia miteſcat, ſi quidem in ventris capacitate humor contineatur. Si vero in ſtomachi tunicis infartus ſit, hiera pi

ra picra eſt purgădus. qui ſi ob viſcoſitatem aut craßitudinem contumax ſit expulſioni, eum a-moliemur extenuando quæ craſſa ſunt, & inci-dendo glutinoſa: ac reſerando vias quibus hæc exeant. Itaq; aceti mulſi potus, hyſſopum, origa-num, aliaq; incidentia medicamenta danda ſunt. Deinde vomitus raphanide ciendus eſt, perfuſio-nibusq; calidioribus, ac cataplaſmatis fouendus. Si verò vel flatuoſum ſpiritũ generarit, vel ci-bum corruperit caloris penuria, ac partis imbe-cillitas: hanc roborare oportebit, contrariis cauſæ quæ imbecillitatem attulit adhibitis remediis. Nam ſi calor eam peperit, frigida ſi frigus, cali-da adhibenda ſunt. Atq; ita de reliquis parti-bus, quæ affectum cum capite communicant, cenſendum eſt. Pari modo ſi corpus vniuerſum in cõſenſum caput trahat, intemperantiam cor-rigemus, aut ſuperantem materiã vacuabimus, purgante quidem medicamento, ſi qualitate pec-cet, ſi vero ſola plenitudine, ſanguinis detractio-ne, quemadmodum & ſi cum febre vnà acceſſe-rit dolor, præſertim ſi bono habitu ſit ægrotus, & ſanguis abundet, aut etiam febris magnitu-do vrgeat. Capiti quoque admouenda remedia ſunt, quæ vapores ſurſum ferri prohibeant, & caput refrigerent, quale hydrelæum eſt, oxyrrho dinum, & decoctum capitum papaueris. Cum vero ex ſola intemperantia dolor acceßit, ei con-traria qualitate eſt ſuccurrendum, ſi quidem ex

æſtu contractus ſit, primùm refrigerantia ac repellentia adhibenda ſunt: vt & intemperantia ad naturalem habitum reuocetur, & vapor qui vi caloris ſurſum trahitur, arceri poßit. Itaque vtiliter caput melino primum oleo, & roſaceo perfunditur, vel lana aut faſcia eo imbuta oleo fronti & temporibus admouetur. Poſtea vero digerentia paulatim miſcenda ſunt, vt receptus in caput vapor diſcutiatur. Si vero frigus iniuriam hanc attulerit, eodem modo oleo laurino, irino, alijsq́; id genus vti licebit, vt Galenus libro ſecundo de Compoſitione medicamentorum κατὰ τόπους *docet. At ſi vel humorum vel vaporum plenitudo dolorem peperit, conſyderandũ eſt, num hi in capite geniti ſint, an aliunde acciti. Qualesq́; hi ſint, calidíne an frigidi. Nam ſi aliunde acceſſerint, hoc eſt vel ex ſtomacho vel iecore vel vniuerſo corpore, curatio qualem modo explicabamus, adhibenda eſt. Sin ab imbecillitate in capite ipſo generentur, curare oportet partim retrahendo in totum corpus, partim hoc vacuando, partim vero capiti remedia adhibendo, quæ quemadmodum fieri debeant, ſatis explicant ipſius autoris verba.*

DOLORIS autem capitis decretoriam vel ſanguinis eruptionem vel vomitionem nuntiantis, curatio veſtiganda non eſt: vtpote qui non ſymptoma, ſed ſalubre ſignum potius ſit exiſtimandus: quemadmodum & alia

alia non pauca, quæ multos quidem antè criſim terrent, ſalutem vero promittunt. Optimum autem eſt poſſe dignoſcere corpus à natura perturbari, tum alias excretiones, tum maxime vomitum, ac ſanguinis eruptionem moliente: quorum inſeparabilis nota eſt capitis dolor. De omnibus autem in alio opere fuſius tractatur. Quantũ vero ad præſentem cognitionem attinet, primum ſeruantes inſtitutum, de ipſis aliquid breuiter dicemus.

Morbi mutantur & in melius, & in deterius: idq́; vel paulatim, vel ſubito. Paulatim quidem in melius, ſenſim decreſcendo: in deterius vero, morbo paulatim in deterius creſcendo: Subito vero, vel cum abſceſſu, vel tranſitu in alium mitiorem morbum, vel cum inſigni excretione. Vbi enim morbus magnus eſt, & vires imbecillæ, natura aut omnino non pugnat: aut ſi ad pugnam paululum ſurgat, ſtatim ſuccumbit. vbi vero ea ſuperior eſt, morbi materiam vel paulatim concoquit, paulatimq́; expellit: vel totam concoquit, ac ſimul excernere tentat. Atq; hãc morbi mutationem criſin appellare ſolent: quæ morbum finit vomitu, alui fluxione, ſudoribus, vrinis, ſanguinis è naribus profuſione, hæmorrhoidibus, muliebri profluuio, parotidibus, & aliis abſceſsibus: quæ in quibus accidere ſoleant, mox

doceb

docebitur. Has autem excretiones præcedit magna corporis perturbatio, nempe delirium, ſpirandi difficultas, caligo oculorum, ſplendores ob oculos verſantes, lacrymæ inuoluntariæ, temporum grauitas, ceruicis & capitis dolor. anticipatio, longitudo, & vehementia acceßionis, ſomnus grauis. ſtomachi dolor, tremor, ac contractio inferioris labri, æſtus vehemens, appetentia frigidæ, & alia id genus: quæ ſi ſuo tẽpore accidant, ſanitatem pollicentur, ſi intempeſtiue, periculum minantur: atque eò quidem maius, quò longius à ſtatu acciderint, quoque maiora cruditatis ſigna apparuerint. Fiunt autem, aut natura paratum humorem ad excretionem propellente, aut humore nondum ad excretionem parato, ſua vel mole vel mala qualitate naturã irritante. Itaq; in hac corporis perturbatione optimum eſt dignoſcere, an natura excretionem moliatur concocti, iam humoris, an humor ipſe naturam irritet.

PRIMVM igitur conſiderandum febrium genus eſt: an calidæ ſint, ac ardentes. Solent enim hæ excretione iudicari: quemadmodum mitiores & velut languẽtes diutius durant, ac in abſceſſum plerunque finiuntur. Deinde vero an morbus ſalutaris ſit: nam quis bonam criſin in pernicioſo morbo ſperauerit? Adhæc, vniuerſi morbi tempus notare oportet. Nam ſi principij vel increm

incrementi, nondum vero ſtatus, aut coctionis notę apparuerint, per vrinas aut ſputum aut abſceſſum bona criſis fieri non poteſt. Hæc quidem ſunt, ex quibus morbum per excretionem iudicatum iri ſperare poſsis. Iam vero eius, quod adeſt, nec iam futurũ eſt, hæ ſunt notæ. In tolerando difficultas vniuerſam criſin antecedit: noctu quidem, ſi interdiu morbus iudicari debet: interdiu vero, ſi noctu.

Primum igitur conſyderanda febrium differentia aſt, calidæ'ne ſint ac vrentes, an molles & languidæ. Hæ enim tardæ ſunt, & in abſceſſum finiri ſolẽt: illæ breues ac excretione iudicari. Deinde an morbus ſalutaris ſit, an letalis, quod ex eius ſpecie, magnitudine, motu, moribus, anni tẽpore, ægrotantis natura, & viribus, dignoſcere licet. Morbi ſpecies ex propriis notis habetur. Magnitudo ex propriorum accidentium multitudine, ac vehementia: motus ex acceſsionis, ac totius morbi partibus. Mores ex ſuperuenientibus accidentibus, quæ vel cum criſi inuadunt, vel hanc paulula m antecedunt. Nonnullæ enim febres toto genere ſalubres ſunt, vt tertianæ: aliæ pernicioſæ, vt peſtilentes: quædam vero ambiguæ, vt continuæ. quarum quæ ſalubres ſint, quæq; inſalubres, cum ex aliis, tum maxime ex ſignis coctionis & cruditatis deprehendes. Co-

ctio

ctio enim ſemper ſalutem promittit, cruditas vero vel morbi longitudinem vel perniciem. Quòd ſi præter ſigna coctionis, æger fortem habeat animum, bene ſe gerat ad ea quæ offeruntur, facile ſpiret, faciem ſanis ſimilem habeat, decẽter accubet, æqualiter toto corpore calidus ſit, & pulſus boni ſint, manifeſtum eſt morbum eſſe ſalubrẽ. Contrà vero, inſalubrem, ſi cum cruditate contraria his ſigna apparuerint. Coctionis & cruditatis ſigna in vrinis, alui excrementis, & ſputis deprahenduntur. Reliqua ſalutis & mortis ſigna, & in toto corpore apparent, & cũ excrementis alui ſputis & vrinis excernuntur: de quibus abũde Hippocrates in Prognoſticis. Morbi magnitudo (quam ex accidentium multitudine, & vehementia metimur) & eius longitudo, cum ægrotantis viribus conferenda ſunt. Nam niſi quantus morbus ſit, quandiu duraturus, & quantæ vires ſint, noueris, morbi exitus, qualis futurus ſit, præſentiri non poterit. Quemadmodum nec ſciri, an ad portandum onus quis ſufficiat, niſi perſpectum ſit, quàm graue illud ſit, quanta via ad quam ferri debet, & quantæ vires portantis. Nam reſpondent ægri vires, portanti onus: morbus, oneri: morbi tempus, viæ longitudini. Igitur ſi morbus vehemens non ſit, nec longus, ægerq́; virium robore polleat, ſalutem expectare oportet. Sin vehemens, & longus is ſit, ægrotantisq́; vires imbecillæ, mortem. Si au-

tem

tem morbi acceſsio omnia ſua tempora, hoc eſt principium, incrementum, ſtatum, & declinationem, celeriter percurrat, ſalutem: ſin tarde, mortem potius indicat. Mores morbi ſuperuenientia oſtendunt accidentia. Quæ ſi tempeſtiue veniant, bona: ſin intempeſtiue, mala ſunt. Tempeſtiue veniunt in ſtatu & apparentibus concoctionis notis, intempeſtiue in principio & incremento. Atq; vt ſemel dicam, quò lõgius à ſtatu & ſignis concoctionis apparuerint, eò pernicioſiora ſunt, & deteriorem criſin faciunt: quando à praua humoris qualitate, aut copia naturam ſtimulante fiunt. Vbi vero natura malum humorem à bono ſecernit, & ad excretionem parat, corpus vehementer perturbatur, quod paulo ante criſin fit. Itaq; mirum non eſt, ſi noctu, dum interdiu: & interdiu, dum noctu morbus indicari debet, maxime corpus perturbetur.

IGITVR ſi quid eiuſmodi conſpexeris, videndum eſt, quotus ægritudinis dies ſit. Nam ſunt qui vel paruo naturæ impulſu decernere idonei ſunt. Sed multi ne in vehementibus quidem commotionibus dignoſcere omnino poſſunt, an perturbationis magnitudo pro diei natura ſit. Septimus enim vel exiguo naturæ inſtructu criſin per vacuationem mouet. Sextus vero magno naturæ conatu eget, atque raro quidem decernit. Quòd ſi decernat, id cum pe-

riculo & ſine fide fit. Ad eundem modum aliorum etiam dierũ ſingulis propria quædam natura ineſt: quam in libris de diebus decretoriis explicauimus.

Experientia comprobatum eſt, non omnibus diebus eodem modo morbos iudicari. Sunt enim qui vel exiguo naturæ apparatu decernere queant, qualis eſt ſeptimus: alij contrà, magno naturæ conatu ad iudicandum egeant: in quo genere eſt ſextus: idq́; vel cælo, vel naturæ, vel morbi motui acceptum ferendum eſt. Conſtat enim ſolis & lunæ beneficio annum conſtitui: eundemq́; in menſes, & hos in ſeptimanas digeri, planetasq́; omnes alijs temporibus cũ alijs Zodiaci partibus ferri: proindeq́; varias aëris conſtitutiones accidere: vnde fit vt res aliæ alijs tẽporibus naſcantur, augeantur, & vigeant: vt pòſt docebimus. Experientia quoq; probatum eſt, aliam eſſe aëris conditionem hyeme, quàm æſtate autumno, quàm vere: ſub Cane & ante Canẽ, quàm Vergiliarum & aliorum ſyderum ortu & occaſu. Nec id aliunde quidem, quàm à cælo proficiſci ab omnibus iam receptum eſt. Hac enim ratione mundus hic inferior cæleſtibus orbibus, vt Ariſtoteles libro Meteorologicorum primo docet, cõtinuatur, & iunctus eſt, quo vim ab eo recipiat. Cum enim ſine quatuor elementorum, quæ orbis hic complectitur, mixtione nihil gi-

gni

gni poßit, ea autem ſuapte natura miſceri non poßint, vt quæ ſibi maxime ſint contraria, opus fuit aliena ope, ad hanc miſturam. Cæterum cum perpetuo fiant generationes, id quod miſcet, æternum eſſe debuit, atq; infatigabile. nihil autem tale hoc in orbe inueniri poteſt, igitur à cœleſtibus corporibus, quæ æterna ſunt atq; infatigabilia, confundi elementa temperariq; neceſſe eſt, ex quibus omnia generantur. Miſcentur autem hæc orbium cœleſtium motu, acceſſu ad nos & receſſu planetarum, eorumq;, & aliorum ſyderum calore, & ſplendore, radiorumq; ſtrepitu. Cœlum enim non ſolum ignem ſuo rotatu, verumetiam aërem mouet, quod teſtantur cometæ, qui per aërẽ feruntur. Hæc autẽ elementa ſic agitata, ob ſubſtãtiæ ſuæ raritatẽ ac tenuitatẽ commiſceri, ea maxime parte, qua ſe contingunt, veriſimile eſt. Solares autem radij aërem commouent, autore Ariſtotele problemate trigeſimotertio ſectiõis vndecimæ. quod & ſenſu deprehendere licet, cum ſol per corpora pellucida radios ſuos in locum vmbroſum omninoq; tranquillum eiaculatur. In his enim radijs conſpiciuntur minuta corpuſcula velut atoma, ſurſum ac deorſum, dextrorſum ac læuorſum diſcurſantia. Quod certe non fieret, niſi agitato à radijs aëre. Aër porrò & ignis commiſti, in terram emiſſorum radiorum & ſplendoris vi feruntur. Radij enim ob ſubtilitatem corpora etiam den-

ſa ac compacta penetrant, ac ſecum aërem, & ignem rapiunt. Aqua vero cum terra facile ob vicinitatem miſcetur: ſed cum non ſit hæc vbiq; mari, fluminibus, & alijs aquis vicina, aliunde habet humorem, eumq; cœleſti etiam beneficio. Solis enim, & aliorum aſtrorum calor, vaporem ex humidioribus locis in ſublime trahit: qui in varijs aëris locis in varias concreſcit formas: nempe in rorem, imbres, niuem, ac grandinē: quæ tandem ſua mole in terram relabuntur, quam et irrigant. Conſtat igitur cœleſti motu, radiorum ſtrepitu, calore ac ſplendore, elementa commiſceri: quæ commiſta, tellus velut ſubſtratum recipit, non ſecus, ac panis vinum, aut alium liquorem, vnde omnia, vt modo dicebamus, generantur. Quod poëtico figmento Virgilius in ſecundo Georgicon ad hunc modum expreßit:

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Aether
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.

Aether, ignis & aër eſt, vt Seruius interpretatur, is cum imbribus deſcendit in gremium coniugis, nempe terræ, in qua multiplices varijq; fœtus gignuntur, & aluntur. Cæterum cum ſola elementorum mixtio, ad generationem non ſufficiat (miſcere enim vnuſquiſq; poteſt, ſed non generare, rebuſq; vitam infundere) cœleſtis calor tanquam naturæ diuinæ primarium inſtrumentum, res varias pro varijs elementorum

mixtu

mixturis generat. Quemadmodum enim cor, per ſpiritum vitalem omnibus corporis partibus calorem ſuggerit: ſic ſol, & alia aſtra, per radios feruorem rebus immittunt. Atq; quemadmodum natiuus calor, diuerſis membris diuerſas naturas, atq; facultates inſerit, dum in vtero fœtus formatur: ſic cœleſtis calor, alias formas rebus alijs per varia elementorum craſi ingenerat. vt igitur diuerſis membris propriam tẽperaturam ex elementorum miſtione ſortitis natiuus, ſic rebus hoc in orbe contentis cœleſtis calor communis eſt. Qui cùm omnibus inſit, tum maxime ſoli & lunæ: illi tanquam regi, vt Galenus ait, huic tãquam ſolis vicariæ. Cum igitur Sol omnis luminis fons ſit, ab eo non ſolum luna, verumetiam reliqua aſtra lumen mutuantur, proindeq; varijs luminum & calorum miſtionibus varie afficimur. Quemadmodum enim partes diuerſæ à corde calorem mutuatæ ſuã quæq; habent agendi facultatem: iecur, exempli gratia, ſanguinis, vẽter ſucci efficiendi: ſic varia cœli ſydera lumen à ſole mutuata varie hunc inferiorem orbem immutant. atq; vt ſemel dicam, planetæ, ac alia ſydera ſe mutuo afficiunt, cum coëunt, vel ſe certis interuallis contuentur. Vnde hunc orbem varie mutant: quod munus maxime Lunæ, vt Solis vicariæ, delegatum eſt. Nã cum ea ſit planetarum omnium infima, terræq; finitima, eorumq́; omnium, radijs ſubiecta, ce-

lerrimeq́; orbem ſuum percurrat, breui tempore cum multis ſyderibus coit, eorumq́; vires recipit, quas nobis refundit. Quare nō immerito his inferioribus regendis deſtinata eſt. Vt igitur venter & iecur, aliaq́; corporis partes, quo plus natiui caloris habent, eo melius naturæ munus obeunt: ſic Luna quo plenior fuerit lumine, eo potētius hunc orbem immutat. Ipſa enim ſuapte natura opaca eſt, ſed ſuo ad Solem acceſſu ac ab eo receſſu, nunc tota lucet, nunc dimidiata, nunc corniculata, nunc verò tumentior ac velut incurua apparet. Sol igitur & Luna, (nam de his præcipua eſt noſtra diſputatio) cum varijs aſtris varios habent affectus. mores enim planetarū, & ſtellarum, cum quibus congrediuntur, patiuntur. Nihil igitur mirum eſt, ſi varijs temporibus res variæ generentur. Dum enim Sol in Ariete eſt, pullulant, vireſcunt, ac florent herbæ: eædem areſcunt, dum Sol in Libram remeat. Ad vitæ autem tutelam cor tanquam rex vniuerſo corpori præficitur: cui ſubſeruiunt venter, iecur, & aliæ id genus partes. Quarum vt non idem eſt officium, ſic neq; Solis, Lunæ, & aliorum aſtrorum. Solaris enim feruor rebus difficilioris trāſmutationis præeſt. Luna vero, ob ſplendoris caloriſq; exiguitatem, res facilioris mutationis moderatur. Sol vero exiccat, ac abſumit humorem. Quomodo calor qui præter naturā eſt, natiuum corrumpit, natiuamq́; corporis humiditatem ab-

ſumit.

ſumit. Exiguus vero excitat in corpore flatus, naturalis vero ac temperatus maturat & concoquit. Luna igitur, vt cui exigua inſit calfaciẽdi virtus, corporis humores excitat, non quidem omnes, ſed qui ſua natura facile moueantur. Igitur in acutis morbis imperium potius obtinet, quòd ſcilicet leui occaſione moueantur, idq; intuitu uel aduerſo ei loco, in quo ægrotare æger cœpit, vel vtriq; quadrangulo dextro vel ſiniſtro, vel quadranguli medio. Cum enim Luna ſignum in quo ipſa incipiente morbo erat, ex aduerſo contuetur, tum radijs, tum qualitatibus pugnat: radijs quidem validius, qualitatibus impotentius: magno enim radiorum agmine certat, qualitatibus vero ferè ſemper patientibus. Eadem in quadrangulis lucta fit, ſed qualitatũ vehementior: aut enim vtraq;, aut agentium oppoſitione in hoc ſchematiſmo pugnatur: radiorum vero diſcordia minor eſt, vt qui minori copia quàm in oppoſito aſpectu, in ſignum quo morbus cœpit, ferantur. Hac ratione languidiſsime quadrangulorum media luctantur: quoniam pauciſsimis radijs in ſeſe illidunt: maximeq; duo propinquiora vtrinq;, altera pluribus, ſed tamen paucioribus quàm in oppoſito aſpectu: vtraq; vero vna tantum oppoſitione, eaq; vt plurimùm patientium qualitate. Simile quidpiam accidit cum Luna Solem intuetur. Nam ex diametro oppoſita plena eſt, ex tetragono ſemiplena, ex te-

tragonorum primorum medijs corniculata, ex aliorum medijs incurua eſt. Ex his liquet, quadrangulis, quantum ex ſe eſt, maximam vim ineſſe: præſertim cum vtraq; qualitatum oppoſitione pugnant. Sed horum primo*, qui ſeptimo die à morbi principio fit, maxime: deinde ſecundo, qui decimoquarto: poſtea vero tertio, qui viceſimo, morbi mutationem accipiunt: idq; non tam eorum quàm morbi proprietate, & virium corporis robore. Nam morbi qui primo quadrangulo finiuntur, quàm qui ſecundo, & tertio, celerius mouentur, & natura valentior eſt. Quadrangulorum media, quæ ſeptimanæ medio, hoc eſt, quarto eius die fiunt, immutandi quidem vim, ſed longe quàm quadrãgulorum, minorem poßident. Non enim indicare morbum poſſunt, niſi cum acutißimus eſt, aut morbus coctus, & facilime mouetur: ſed tamen prænuntiant. Itaq; ſeptimus dies omnium fortißimus eſt, quẽ quartus prænuntiat. Deinde quartuſdecimus, cuius vndecimus eſt index. Poſtea vero viceſimus, quẽ indicat decimuſſeptimus. Primam enim ſeptimanam quartus dies in duo æqua partitur: Secundam vndecimus: Tertiam decimuſſeptimus: & reliqui pari modo. Porrò autem viceſimus, quàm primus & viceſimus potius decernit: quod qui ad hunc diem perueniunt morbi, diuturnorum naturam ſortiuntur: qui paribus diebus iudicari ſolent. Præterea ſeptimana non integros*

gros

groſ ſeptẽ dies cõplectitur. Luna enim totũ percurrit zodiacũ diebus viceniſſeptenis & triente. At quoniã non ſemper nobis æquali dierum numero Luna conſpicua eſt (ſæpe enim triduo, aliquando minori ſpatio cum ſole deliteſcit) neque ſemper ex æquali dierum numero mẽſis illuminationis conſtabit: ſed magna ex parte XXVII. vel XXVI. cũ ſemiſſe pro Lunæ mora cum Sole & celeriore vel tardiore eius ad Solem reditu. Aliquãdo enim diebus XXX. aliquando XXIX. cum ſemiſſe ad eum remeat. Si igitur occultationis tempus, quod ferè eſt trium dierũ, ex tricenis dempſeris, dies ſeptem & viginti: ſi ex viceniſnouenis cum ſemiſſe, dies ſex & viginti cũ ſemiſſe remanent: quod tempus menſem illuminationis vocant: quòd ſcilicet Luna tunc maniſeſte nobis illuceſcat. Vterq; menſis ſuas vires obtinet: illuminationis quidem communes. Aërem enim nos ambientem immutat, proinde omnibus hominibus, tã ſanis quàm ægris, eundem effectum, vt Galenus ait, ex æquo præbet: ſed maiorem quidem, cum Luna plena eſt: minorem, cum bipartita & cum tumet incuruaq; eſt: Obſcuriſſimũ, dũ corniculata eſt, falciq; habet imaginẽ. Plena enim celerrime mouet, ac vehementiſſime: propter luminis multitudinem, vt modo dicebamus. Verum breuis eſt mutatio, quia celerrime Luna decreſcit. Cum vero deliteſcit cum Sole, diuturnas habet mutationes, quia id tempus

longum eſt. Cæterum primũ illuminationis tempus occultationi eſt ſimile, ob id quòd Lunæ apparentis portio exigua ſit, & lumen obſcurum, & breui tempore ſuper terram feratur. Mouet enim tunc non ſplendoris vi, ſed accidente quodam dum coit cum Sole, non aliter quàm Sol ipſe dum deliquium patitur. Simile enim quidpiam corpori noſtro accidit, dum vis animalis è cerebro in ipſum ferri corpus prohibetur: vt in apoplexia. Cum vero Luna bipartita eſt, obſcure quidem immutat, ſed minus quàm cum falcis habet imaginem. In illa enim plus eſt luminis: in hac minus. In vtraq; eadem mutationis celeritas. Alter menſis, quem reuolutionis vocant, ſeptenarijs maxime, deinde quaternarijs mouet, hoc eſt cũ Luna ex oppoſito, quadrangulo vel quadranguli medio locum inſpicit: à quo, cũ morbus cœpit, egreſſa eſt. Itaq; duplici nomine Luna in morbis, præcipue acutis, imperium habet: nempe lumine, & configurationibus. Sed quoniam ſecundum horum menſium neutrum, dies decretorij ſupputari poſſunt, alius menſis deſignandus eſt. Menſis enim reuolutionis ex ſeptem & viginti diebus trienteq; conſtat. Ideo ſingulæ eius ſeptimanæ ſenos dies & horas vicenas complectuntur: duæ vero, dies tredecim cum beſſe: tres, viginti cum ſemiſſe, qui numerus non magis ad viceſimum quàm viceſimum primum referri poteſt. Menſis vero illuminationis ferè ſeptem

ptem & viginti dies cõtinet, aut, vt dictum eſt, ſex, & viginti cum ſemiſſe: itaq; ſingulæ eius ſeptimanæ ſecundum priorem poſitionem ſenos dies, horas vero denas ſenas habent. Duæ autem ſeptimanæ, dies tredecim cum ſemiſſe. Tres vero continent dies viginti & ſextantem. Secundum vero aliam poſitionem menſis hic ſex & viginti dies cum ſemiſſe: ſingulæ ſeptimanæ ſenos dies, horas vero denas quinas: duæ ſeptimanæ dies tredecim cum quadrante. Tres, diebus nouendecim, & horis quindecim perficiuntur. Itaq; quemadmodum prioris menſis tres ſeptimanæ dies plus viginti poßident: ſic huius, duæ ſeptimanæ quatuordecim dies non integre continent. Quare, vt modo dicebamus, neuter horum menſium criticis ſeptimanis deſignari poteſt. Si igitur (vt Galeno placet tertio de diebus criticis) hi duo menſes copulentur, deinde in duo æqua diuidantur, naſcetur menſis quem & medium & criticum vocant: vtriuſq; parentis, nẽpe illuminationis, & reuolutionis menſis facultates ſortitus, nimirum illuſtrationis & configurationis. Coniuncti igitur hi duo menſes ſecundum poſteriorem menſis illuminationis poſitionem, dies pariunt tres & quinquaginta cum viginti horis, quem numerum ſi in duo partiaris, menſem medium conſtitues ex ſex & viginti diebus cum horis duabus & viginti. Ex quo mẽſe fiunt quatuor ſeptimanæ: ſingulæ ſenum dierum cum

alte

alterius diei media parte ſexta viceſima quarta, & quadrageſima octaua, hoc eſt ſingulæ ſenos dies continent cum horis ſeptemdecim & ſemiſſe. Quæ cum ita ſe habeant, duæ ſeptimanæ dies tredecim cum horis vndecim continent: tres vero, viginti dies cum alterius diei ſexta ſexageſima ducenteſima quadrageſima parte, quæ quatuor horas & ſemiſſem complectuntur. Secundum vero priorem menſis illuminationis poſitionem, ſupra commemorati menſes coniuncti, pariunt dies quatuor & quinquaginta, cũ triente. diuiſi in duo æqua menſem medium conſtituunt dierum ſeptem & viginti, & horarũ nouem. Siue igitur ſecundum priorem, ſiue poſteriorem menſis illuſtrationis poſitionem conſtituatur menſis medius, viceſimus dies decretorius habẽdus eſt, vt ex antè dictis conſtat. Atq; hæc quidem medico de cœleſti potẽtia ſatis ſint. ſi quis autem exactius noſſe cupiat, ex Aſtrologia petat. De naturæ autẽ motu ſupereſt, vt diſſeramus. Ea autem ex ſe ordinata eſt: definitos enim, vt Galenus ait, et certos motus habet, proportionesq; a. circuitus, vt in bene integreq; valentibus videre eſt, in quibus ea certis temporibus aſſuetum cibum concoquit, & excrementa expellit. Pari modo in morbis ſalubribus certo tempore materiam delinquentem concoquit, & excernit. Cum igitur natura valet, & morbi materia contumax non eſt, certis diebus morbum

indica

iudicare ſolet, nũc tẽpeſtiuius, nũc ſerius, pro humoris conditione. acutos enim morbos citius, diuturnos tardius iudicat: atq; hos paribus, illos imparibus diebus. Alij enim humores alios motus habẽt. ſi quidẽ bilioſus eſt, alternis diebus. ſin pituitoſus, quotidie. Si vero melãcholicus eſt, quarto quoq; die naturã laceſſit, vt prius oſtenſum eſt. Quòd ſi natura à morbo ſuperetur, certos motus ac circuitus non habet. Sed ea aut inuadenti morbo nõ reſiſtit: aut ſi reſiſtit, poſtea ſuccumbit, incerto quidẽ tẽpore, vnde fit vt mori cõtingat in morbi principio, incremento, & ſtatu. tantum vero in ſtatu aut paulo ante ſtatum ſalubris criſis fit. Victrix enim natura ita materiam moderatur, vt non niſi ſtatis temporibus expellat. Itaq; morbos acutos natura iudicare tentat tertio, quinto, ſeptimo, & alijs diebus imparibus, prout materia ad expulſionem parata eſt, niſi aliunde impulſa ſit (quarto enim & decimoquarto die à cœli vi mota iudicare ſolet.) Nam ſi bene inſtituta eſt, & morbo ſuperior, nõ antè excretionem molitur, quàm materia concocta ſit. Quòd ſi vis cœli vnà concurrat, & coctionis notæ appareãt, expectanda eſt criſis ſaluberrima. Contrà, ſi neq; natura ex ſe, neq; vi cœli mouente, neq; coctionis ſignis apparentibus ad iudicium morbus incitatur, non ſine periculo iudicabitur. vnde decernentium dierum potentiſſimus eſt ſeptimus, vt in quo tum natura, tum

cœlum

cælum morbum moueat. Contrà periculoſiſſimus ſextus, vt in quo horum neutrum adſit. Decimus quartus ſeptimi naturam proxime imitatur, quia cælum potenter mouet, vt prius oſtendimus. Luna enim ex aduerſo locum, in quo cœpit morbus, intuetur. Vndecimus & viceſimus ſeptimum ſequuntur: hic, quòd tertiæ ſeptimanæ finis ſit: ille, quòd & impar ſit, & ſecundi ſeptenarij medius. Inter periculoſos autem ſextus primas obtinet, deinde octauus, decimus & decimus ſextus. neq; enim naturæ, neque morbi motum experiuntur, neq; cæli potentiam. Ex his quidem reliquos dies, quales ſint, facile iudicabis.

AGEDVM perturbationis magnitudini dies reſpondeat: poſtea conſiderato, qualis futura criſis ſit. de aliis quidem nunc diſputare neceſſe non eſt. An vero vomitus futurus ſit, vel ſanguis per nares fluxurus (in eiuſmodi enim criſibus ſignum vnum eſſe dicebamus, nempe capitis dolorem) ex iis maxime depræhendere licet: in primis quidem, ſi ab initio ſtatim non inuaſit dolor, tanquam morbi ſymptoma quoddam, ſed in perturbatione criſin præcedente. Deinde, ſi condoleſcat collum, & hypochondrium retrahatur, ſpirandique difficultas quædam repentina velut preſſo thorace ſuboriatur. Si enim omnibus

his

his incidentibus repente pulſus turgeſcant, nec in paruitatem recidant, nec debiles fiant, iam iam criſis eſt expectanda. Si vero præterquam quod non concidunt, etiam in altum atollantur, vehementioresq; reddantur, iam inſpicienda ægrotantis facies eſt, in qua ſi pars aliqua palpitet, aut temporum venæ micent, aut mala, aut naris, aut oculus rubicũdior appareat, criſis habẽdæ maior ſpes eſt. Quòd ſi inuiti illacryment, aut ſplendores ſe cernere ſibi videantur, ac manus velut ſcabentes naribus admoueant, tunc iam non adfore, ſed adeſſe ſanguinis fluxionem conſpicies. Statim enim ſemel ac iterum ſcabentibus ſanguis erumpit. In his vero ne perterrearis, etiam ſi delirare ac ſubſilire hominem videas. Hæc enim ſunt humorum ſurſum tendentium indicia. Quemadmodum & ſpirandi difficultas, & hypochondria retracta, collumq; vnà cum capite degrauatum. ſed & cum his delirium ſignum quoddam ſit. Atque hæc quidem ſigna ſufficiant. Sæpe vero & cum his accedit ægrotantis ætas, & natura quæ ſpem confirmat, præterea anni tempus, & præſens aëris conſtitutio. Nam ſi æger adoleſcens eſt, aut alioqui calidæ naturæ, aut copioſi ſanguinis, maior ſpes fuerit. Quòd ſi prius eidem aut ægrotanti

tanti aut ſano ſæpe ſanguis per nares effluxerit, vel hoc ſolum ſatis fuerit ad ſanguinis profuſionis ſpem habendam. At ſi anni tempus æſtas eſt, aut ſi æſtas non eſt, ſed aëris præſens conſtitutio calida, nónne ex his indicium aliquod deſumes? Iam vero ſi & multi eo tempore per ſanguinis profuſionem criſin habuerint, præterea ſanguine corpus redundet, & ſolitæ excretiones ſupprimantur, hæc quoque ſpem tibi auxerint. Mihi quidem neque omnino difficile videtur, futurā ſanguinis eruptionem poſſe præſciri, vbi tot ac talia ſigna habeas. Abſurda vero res eſt ac magna imperitia, id non prænoſſe. Sed ſunt qui medicorum huius tempeſtatis culpa ac incuria, ea demirentur, quæ admiratione digna non ſunt. Siue enim ex læua, ſiue dextra nare ſanguis fluxurus ſit, ex iam dictis haud difficulter præſenties. Verum medicorum non pauci non ſolum id difficile eſſe, ſed omnino ſciri non poſſe arbitrantur: tametſi tum hæ, tum aliæ omnes excretiones præuideri poſsint, ſi duo hæc conſideraueris, nempe vnde naturæ impetus fiat, & in quam partem vergat. Quæ ſi noris, defectum ſupplebis, & immoderatum motum inhibebis, velut exempli gratia, Magna cucurbita ſiniſtro hypochondrio admota ex liene: dextro vero, ex

iecore

iecore profluentem ſanguinem facile retrahet. eadem quoque in aliis partibus habenda eſt ratio. Nam ex vno de omnibus idem colligere licet, ſi vniuerſale contempleris. Quocirca hoc loco præſenti libro finem imponam. Deinceps vero de febribus, quas phlegmonæ, id eſt, inflammationes accedunt, atque de aliis affectibus, qui in ſingulis corporis partibus conſiſtunt, diſſeram. Phlegmone autem quaſi phlogoſes à veteribus diſcebantur. A' recentioribus vero non omnes. Neque enim herpes, neq; eryſipelas, neque id genus aliud inflammationibus annumerantur: ſed ex calidis affectibus vni tantum, cuius durus tumor & dolor pulſatilis comes eſt, hoc nomen tribuunt: tametſi non talem ſolum, ſed ſimpliciter omnes calidos, ac velut feruidos affectus, febres, ac dolores ſequi videmus. De his igitur atque aliis id genus morbis deinceps diſſeremus.

Criſis cum excretione, vel ſine ea, ſed cum abſceſſu fit. Excretio vero per vomitum, alui fluxionem, ſudores, aut alias vacuationes, vt paulo antè docuimus, quarũ alias aliæ antecedunt perturbationes. Vomitum enim cordis morſum, & ſtomachi faſtidium, quæ biliosus & mordax humor in ventrem collectus adfert, capitis dolor

mordax, vertigo, hallucinatio, tenebræ oculis obortæ, & alia id genus, quæ perlatis ſurſum vaporibus fiunt, vomitum hunc præcedunt: pari ratione ſi inferius labrum palpitat, & tenue ſputum defluit. Fluxurum è naribus ſanguinem oſtendunt, præcordiorum diſſentio ſine dolore, ſpirandi difficultas, & capitis dolor grauis, diſtendens & calidus. hæ enim ſunt ſanguinis ſurſum per thoracem aſcendentis notæ. Sudores præcedit rigor cum ſuppreſſione alui & vrinarũ. Hæmorrhoides vero fluunt, ſi ſolitæ ſint euenire, nec aliarum vacuationum notæ appareant. Menſes vero prænuntiant lumborum grauitas, diſtentio & dolor. Alui excrementa expectantur, ſi cũ criticis ſignis non adſint vomitus, fluxio ſanguinis, & ſudorum ſigna. Quemadmodũ vrinæ ſi aluus aſtricta ſit, nec appareat vomitus, profluuium ſanguinis, & ſudoris notæ. Abſceſſus vero per longas febres, in articulis fiunt, in pulmonis morbis, ſi quidem male per ſputum, aut aluum repurgentur, circa aures. hos autem grauis ſomnus, ſurditas repentina, & dolor capitis antecedunt. Hæc autem omnia præuidere poteris, ſi vnde naturæ impetus fiat, & in quam partem vergat, conſyderaueris. Semper enim à morbi loco per directum natura mouere debet: hoc eſt, eodem modo, quo ſe venarum & arteriarum ſtamina, ac vniuerſum corpus habent. Itaq; rite in febribus ardentibus excretio fit per fluxionem

ſang

ſanguinis è naribus, ſudores, vomitum, alui deiectionem, & vrinas. In tertiana per vomitum, ſudores, & alui excrementa bilioſa: quemadmodùm per pituitoſa in quotidiana. In phrenitide manat ſanguis è naribus, ſudor è capite ac toto interdum corpore erumpit. In lienis inflammatione profluit ſanguis è nare ſiniſtra: in iecoris, ex dextra, & in reliquis partibus ſimiliter per directum, vt dictum eſt. Exemplariaq́ typis excuſa habent, μετ' οἰδήματος καὶ ὀδύνης φλεγματώδους, legendum eſt σφυγματώδους.

*

FINIS PRIMI LIBRI.

CL. GALENI

DE RATIONE CVRANDI AD GLAVCONEM

*

LIBER SECVNDVS.

*

DE ſingularum autem corporis partium affectibus Glauco deinceps diſſeremus, ab inflãmatione exorſi: vt quæ & frequentiſsime incidat, & plurimas habeat differẽtias. Quibus omnibus febres accedere ſolent. Itaque omnium communis eſt immoderatus calor, ac velut phlogoſis, id eſt inflammatio. Vnde & ipſis phlegmones nomen veteres indidere. Harum autem cuique ſua ineſt differentia, ex qua eius tum ſpecies cognoſcitur, tum idoneum remedium ſuppeditatur. Aliam enim herpetes, aliam eryſipelata, aliam phygethla, & aliam aliæ inflammationum ſpecies curationem efflagitant. Quocirca hic quoq; dignoſcendorum recte affectuũ facul

facultas rurſus antecedit. Atque hoc primum tibi ſcribere conabor, vbi omnium inflammationum differentias ab initio diſtincte conſtituero.

CORPORIS partes aliæ eiuſdē rationis ſunt, ὁμοιομερῆς Græci vocant, nos ſimilares dicamus: aliæ instrumentales ſunt. illarum affectus in intēperantijs, harum vero in figura, numero, quantitate, & poſitu vitiatis cōſiſtunt: vtrarumq; communis eſt vnitatis ſolutio. De cuius & aliorum omnium differentijs in libro de differentijs morborum abunde Gale. diſputat. nonnunquam vero ex his plures, nonnunquam omnes eiuſmodi affectuum differentiæ eandem partem occupant. In inflammatione, verbi gratia, intemperies eſt calida, & figura magnitudoq; vitiata: in abſceſſu cum inflammatione, intemperantia, figura vitiata, & ſolutio vnitatis. Hi quidem affectus parti inſunt, vt inſtrumento. Intemperantia vero, vt ſimilari. Horum igitur morborum præcipue quidem ex humoribus vel flatibus originem ducentium, curationem ſuſcipit Galenus: qui omnibus corporis partibus ſunt communes: quales ſunt tumores, abſceſſus, ſcirrhi, & quæ inflammationes ſequuntur gangrænæ. Eiuſmodi enim vitia alia ex alio humore contrahuntur. Siquidem boni ſanguinis, & mediocris defluxio, eam inflammationis ſpeciem

parit, quæ totius generis nomen adoptans, inflãmatio dicitur: feruidi ſubſtantiaq; tenuiſsimi eryſipelas: craſsi ac calidi carbonem. Bilis vero flauæ herpeta: tenuis pituitæ œdema. Eadem in reliquis ratio, de quibus mox diſſeretur, ac primum de inflammatione, vt quæ & frequenter incidat, ob humoris copiam: & plures habeat quàm alij tumores, differentias: nempe inflammationem ſpeciatim vſurpatam, eryſipelas, herpetem, & carbunculum, quas omnes inflammationes, ſi quidem magnæ ſint, vel locum principem, vel cordi vicinum occuparint, febris comitatur: & alia grauiſsima ſymptomata, paruæ enim, & quæ longe à corde diſtant, ſolum eam quam obſident, partem accendunt, nec calorem cum corde communicant. Cæterum vt inflammationes aliæ alijs ſunt vehementiores, ſic quæ ab his naſcuntur febres, aliæ alijs ſunt periculoſiores. Carbo enim periculoſam, inflammatio mitem, ſed tamen magnam, eryſipelas & herpes vehementem quidem, ſed minus quam carbo periculoſam febrem gignit. Sua autem cuiq; harum ineſt differentia, ex qua & eius ſpecies cognoſcitur, & idoneum remedium ſuppeditatur, cuius initiũ ex affectus natura ſumitur. Siquidem abſurdum ſit, vt Galenus ait, aliud eſſe quod curandi rationem præſcribat, aliud quod curetur: etenim indicare de ſe quicquam magis poteſt quam de alio. Cum igitur inter ſe eiuſmodi

di inflammationes differant, earum curandarum non eadem erit ratio: ſed aliam herpetes, aliam eriſypelata, aliam phygethla, aliam aliæ inflammationum differentiæ efflagitant, vt in ſequentibus docebitur. Hinc fit vt dignoſcendorum recte affectuum facultas, curandi rationē antecedat. Qui enim fieri poteſt, vt ignorato affectu, recte quis remedia inſtituat? Poſt conſtitutas igitur inflammationum differētias, antequam curationem moliatur Galenus, rationem dignoſcendorum affectuum conſcribit.

PRIMA itaque inflammationis differētia eſt, qua in humidam & ſiccam diſtinguitur. Humidam quidem quæ ex calida defluxione partem obſidente fit: Siccam vero, in qua citra vllum defluuium natiuus calor accēditur. Hoc autem quadamtenus velut febris partis ipſius eſt: quæ cū ad immoderatā iam caliditatem & ſiccitatem peruenit, extinguitur omnino ac emoritur. Quocirca neq; in plura poteſt diuidi, quemadmodum altera differentia: quæ vti dicebamus, ex humorum defluxu in partem aliquam fit. Eius enim multæ ſunt ſpecies: vna ex ſanguinis, altera ex bilis, tertia ex vtriuſq; ſimul defluxione. Atque etiam in harum ſingulis, aut iam computruit quod defluit, aut putreſcit in parte infartum; idq; vel ſubſtātia craſſum eſt,

vel tenue, vel ſuaue, vel acre.

Inflammatio in duo primum diuiditur: nempe in ſiccam & humidam. Hæc ex defluxu fit humoris: qui vt multiplex eſt, ſic multiplices: vt diximus, parit inflammationis differentias. aliquando enim ſanguis, aliquando bilis, aliquando vero vterq; humor in aliquam corporis partem decubit. Rurſus ſanguis aut ſuauis & ſubſtantia mediocris eſt, aut acer, aut tenuis ac calidus, aut craſſus ac feruens. Bilis vero aut exquiſita eſt, aut paulo dilutior. Ad hæc eiuſmodi humores vel in æqua portione, vel altera alteram ſuperante miſcentur. Ex quorũ defluxione omnes inflammationum ſpecies generantur. In harum porrò ſingulis aut iam computruit, quod defluit, aut putreſcit infartum in ipſa parte: vnde remedia variari neceſſe eſt, vt in ſequentibus docebitur. Sicca vero inflammatio citra humoris commercium fit: efferueſcente præter naturã genuino calore, atq; in ea quam obſederit parte febrem accendente: vt ſtomacho, iocinore, ac etiã corde, vnde hectica febris naſcitur. Hunc autem calorem natiuum duplicem eſſe in ſuperiore commentario oſtendimus: alterum vaporoſum ex aërea aqueaq; ſubſtantia conſtantem: alterum vero, vel ſubſtantiam virtutum eſſe, vel harum primum inſtrumentum, id eſt vel quatuor elementorum, vel eorum qualitatum contemperamentum. Sic enim putat Galenus. per harum enim

nim qualitatum moderationem probe ſuo munere fungitur virtus, quæ ex debita eorundem commiſtione naſcitur. Siue igitur calorem hunc dixeris virtutum ſubſtantiam eſſe, ſiue primum earum inſtrumentum, id eſt qualitatum contēperamentum, nihil refert. Hæc quidem ſimilaribus partibus primum ineſt, proinde virtutum actiones primum illis feruntur acceptæ. Igitur ſi eiuſmodi partes ad certum quendam modum caloris exceſſerint, fit ſicca, de qua nunc agimus, inflammatio, quam & phlogoſin Græci, & phlegmonem vocant, quæ loco primario ſimilaribus partibus ineſt: ex accidenti vero, inſtrumentis. Quod ſi immodice exiccentur ac incaleſcant, non ſolum febris aderit, ſed iam partis tabes & mors, ſcilicet reſoluto natiuo calore. Is enim elementa miſcet, & miſta conſeruat quandiu valet, vt prius oſtenſum eſt.

S I igitur ſanguis bonus, ac craſsitudine mediocris, vniuerſim in aliquam partem fluxerit, atque ob multitudinem conſtipetur, dolor vehemens, niſi pars omnino hebetem ſenſum habeat, hominem corripit: pulſúsque in profundo infeſtat, & diſtendi partem ipſam vſquequaque, ac contundi æger putat, tantumque ſentit calorem, vt deuri videatur, ac refrigerari cupiat, rubor quoque qualis ex balneis accedit, aut ad ignem, vel alio quouis modo calfactis

in cute apparet. Affectus hic totius generis appellationem accepit, vocaturq; inflãmatio: quemadmodum & aliæ multæ ſpecies ſui generis nomen adoptarunt. Oriturq; frequenter ex omni ferè occaſione, nimirum vulneribus, conuulſionibus, contuſionibus, rupturis, laſsitudine, quam exercitatio attulit, luxationibus, fracturis, & ſponte natis vlceribus: præter hæc omnia, cũ venæ immodice plenæ in eam partem, quæ tunc recipere maxime ſit idonea, ſuperuacuum humorem fundunt: ea autem pars cæteris eſt aut imbecillior, aut rarior, & ſolutior, aut ad attrahendum promptior, aut immobilior, quacunque de cauſa ad has affectiones perducta fuerit. De hoc enim diſceptare nunc non ſtatuimus.

Ex ſanguinis fluxu copioſioris, quàm parti ſit ex vſu, fit ea inflammationis ſpecies, quæ peculiariter inflammatio dicitur, à ſuo genere nomen mutuata: fluit autẽ ſanguis parte quæ affligitur, hunc vel recipiente, vel attrahente, & alia alijs've traſmittẽtibus. Attrahit autẽ vel morboſo calore, vel dolore obſeſſa. Calor ex immodica fit exercitatione, admotu rerum calidarum, & alijs id genus cauſis calidis: dolor vero tum ex calore, alijsq; intemperantijs, tum ſoluta vnitate: ſoluitur hæc vulneribus, conuulſionibus

bus, rupturis, luxationibus, fracturis, & ſponte natis vlceribus. Tranſmittit vero pars, vel partes, cum venæ vel immodicum, vel acrem humorem vim excretoriam impellentem, continent: quem facile pars recipit vel imbecillior, vel rarior & ſolutior, vel immobilior. Itaq; glandulæ facilimè omnium partium fluxiones recipiunt, propter raritatem, laxitatem, virium naturalium imbecillitatē, & quia minus moueri ad fluxum repellendum idoneæ ſunt. Inflammationē vehemens dolor comitatur, ſi qui defluxit ſanguis, in parte afflicta impactus ſit. Cum enim is, vt Galenus docet, aliquo decumbit, primum eius maiores venas opplet ac diſtendit: deinde minores, atq; ita res procedit, donec ad minimas ſit peruentum: in quibus vbi valenter impacta fluxio eſt, nec adhuc ſiſtitur, partim eius per ipſarum ora, partim per tunicas velut colatum foras tranſmittitur. tum vero ſpatia ipſa vacua, quæ inter prima ſunt corpora, fluxione implentur. Sic omnia ab humore omni ex parte incaleſcunt, & perfunduntur. Ea ſunt, nerui ligamēta, mēbranæ, caro ipſa, & in primis arteriæ & venæ: quæ ſcilicet & prima & præter cætera dolore afficiuntur. Quippe quæ interius à fluxione tum excalfiunt, tum diſtenduntur ac diuelluntur: exterius non modo excalfiunt, ſed etiam premuntur ac degrauantur. Reliquæ particulæ aliæ comprimendo ſolum, vel incaleſcendo, aliæ

vtroq;

vtroq; genere laborant. Hæc quidem Galenus. Itaq; ex hac plenitudine oritur tumor, ex tumore cutis diſtẽtio, ex qua & renixus: ſanguis porrò is cum minime diffletur propter obſtructionem, neceſſario putreſcit. omnino enim calida & humida in calidum locum collecta, ſi nõ euacuãtur ac refrigerantur, putreſcunt. Ex putredine vero augetur calor præter naturam: qui primũ quidem ac maxime, vt idem autor ait, arteriarum & venarum tunicas calfacit: mox vero omnia, quæ extra has ſunt, quibus ſcilicet circunfunditur. Cum igitur dolorem vel intemperantia vel vnitatis ſolutio generet, vtraque autem inflammationem ſequatur: mirum non eſt, ſi vehementer pars inflammata doleat, niſi ſenſu admodum ſit hebeti, atque eo magis, quò maior calor ac diſtenſio eſt: eò quoque magis affecta pars renititur, quò ea magis tenditur. Ea autem magis tenditur, quò maior fuerit defluxio. atque hac ratione pulſus magis in profundo infeſtat & dolorem parit, ſcilicet arteria vicinas partes dum micat percutiente. vnde & diſtendi locũ, & velut contundi æger ipſe ſentit. Quòd ſi inflammata iam ſit arteria, percutiens ſimul & percuſſa dolorem auget: rubor quoq; inflammationis nota eſt: ſimilis enim in cute color humori apparet. In quibuſdam exemplaribus legitur, ἢ παρὰ τῷ περὶ θαλφθεῖσιν, ἢ τριφθεῖσιν, ἢ πῶς ἄλλως θερμανθεῖσιν. *Itàque legere qui vo-*

let

let poterit: rubor quoque qualis ex balneis, aut exercitatione, aut ad ignem, aut alio quouis modo calfactis, &c.

FLAVA bilis, quando ſuam ſeruans naturam, per vniuerſum corpus cum ſanguine fertur, arquatum morbum parit. Herpeta vero, cum ſola à ſanguine ſecreta eſt, ac in parte aliqua conſiſtit: quæ ſi craſſa ſit, totã cutem, vſque ad ſubiectam carnem, exulcerat. Atque hunc Hippocrates ἐσθιόμενον, id eſt exedentem vocat. Sin tenuior bilis ſit, ſolam ſuperficiem quaſi deurit: atque hæc ſpecies generis nomẽ accepit, ſimpliciterq́; & ſine adiectione herpes nominatur. Aliarum enim duarum formarum, altera modò commemorata, herpes ἐσθιόμενος, id eſt exedens: altera vero miliaris dicitur, quòd puſtulæ paruæ ac multæ in ſumma cute excitantur milio ſimiles. Fit autẽ eiuſmodi herpes etiam ab ipſa bile, ſed minus quàm priores, acri & calida.

Flaua bilis ſuam ſeruat naturam, quæ nõ nimia coctione vt atra, craſſeſcit, aut cui alius humor non ſit permiſtus: hæc igitur ſi craßior ſit, hæreatq́; in parte aliqua, totam eius cutem exulcerans, herpetis ſpeciem gignit, qui ἐσθιόμενος, id eſt exedens dicitur. Quòd ſi dilutior ſit, altera ſpecies naſcitur, quæ quia puſtulas paruas mi-

lio

lio ſimiles habet, miliaris appellatur. Dilutior enim partes omnes vſque ad ſummam cuticulã tranſit, in qua paruas puſtulas ſuſcitat: quæ ſi diutius morantur, in vlcus abeunt. Craßior vero totam cutem vſq; ad ſubiectam carnem exulcerat. Quò enim humor craßior fuerit, eò minus ad cutem peruenit: magisq; exulcerat eã, in qua moratur, partem, quo acrior fuerit. Ad eundem modum altius verſus cutis ſuperficiem aſcendit, quò tenuior fuerit. Ex quo conſtat alia vlcera alijs magis minus ve profunda eſſe, pro humoris tenuitate ac craßitudine. Herpes enim miliaris ex dilutiore, exedens craßiore fit bile: cancer vlceratus, phagedæna, omniaq; cacoëthe vlcera, ex craſſo feruidóque humore.

QVOD ſi ex ſanguine & flaua bile iuſto calidioribus fluxio miſta fuerit, aut ex ſanguine quidem, ſed feruido ac ſubſtantia tenuiſsimo, affectus eryſipelas vocatur, multo inflammatione calidior, aſpectuque flauior. Et ſi tetigeris, ſanguis facile ſuffugit, rurſusq; affluit, exquiſite tenuis, & viſu ruber, non tamen æque cruciat eryſipelas, atque inflammatio. Neq; ſecundum vllam inflammationis ſpeciem, aut pulſat, aut premit, aut diſtendit. Verum aliquando moderate omnino infeſtat, & maxime cum in ſolã cutem ſparſum eſt, minimeq;

ſubiectam carnem lædit, atque magna ex parte tale fit, exquiſitumque eryſipelas eſt. Quemadmodũ id quod ſubiectam carnẽ inuadit, minimeq; ex planè tenui fluxione fit: ſolum eryſipelas non eſt, ſed iam miſtus ex eryſipelate & inflammatione affectus, in quo cũ propria eryſipelatis ſymptomata præualent, à recentioribus medicis eryſipelas phlegmonodes: cum vero inflammationis; eryſipelatodes inflammatio dicitur. Quòd ſi neutrius luculenter vincant, ſed paria cernãtur, inflãmatio & eryſipelas miſta eſſe dicũtur. Itaq; exquiſitũ eryſipelas ſolius cutis eſt vitium. At inflammatio nõ ſolum ſubiectarum cuti partium, quanquam maxime quidem harum; ſed & cutis aliquando affectus eſt. Atque hæc quidem non minorem alioqui quàm illa dolorem inuehit, ſed pulſatione caret.

Eryſipelas, vt & herpes, duplex eſt. Exquiſitum & minime tale, illud ex bilis & ſanguinis calidorum miſtura ortum habet, aut ſanguine quidem ſolo, ſed feruido ſubſtantiaq; tenuiſsimo, atq; in cutim vſq; externam ſpargitur cuius ſolius eſt vitium: calidius eryſipelas eſt & aſpectu flauius, ſcilicet materia, ex qua fit, tum calidiore, tum colore flauiore. Hoc vero ex fluxione minus tenui, atq; id ad ſubiectam carnem

perne

peruenit: quod proprie eryſipelas non eſt, ſed ex eryſipelate & inflammatione affectus, qui nunc eryſipelas phlegmonodes, nunc inflammatio eryſipelatodes, dicitur. Ab eo enim, quod in miſtura pollet, nomen ſortitur. Quòd ſi neutrũ vincit, vitium inflammatione atq; eryſipelate miſtum appellatur. Eiuſmodi igitur humor, ex quo eryſipelas exquiſitum gignitur, mediocri quidẽ ſanguine dilutior & calidior eſt: exquiſita vero bile craßior ac minus acer. Quocirca partem magis in tumorem attollit, quàm exulceret; vt Galenus lib. de Tumoribus qui ſunt præter naturã, docet; quanquam tamen & exulcerat ſummam cutem, & temporis ſpatio ſubiectam partem, ſi producens eum affectum humor craßior ſit, & acrior. Hinc rurſus fit, vt prior eryſipelatis ſpecies duplex ſit. Altera, quæ cum vlceratione: altera, quæ ſine ea fit. Hanc ſi digito preſſeris, ſanguis vtpote tenuis, facile fugit, reditq; quàm antè rubicundior. Nam antè preſſum bilioſior eius ac flauior portio ſummam cutem occupabat (tenuior enim qui flauus eſt ad eam partem magis fertur, craßior vero ac ruber minus) digiti autẽ preſſu, qui ſub cute latebat, ſanguis, effugit, reditq; ad compreſſum locum cum flauo mixtus, cum premere deſinis. vnde rubicundior apparet, ſed tamen minus quàm in inflammatione: minoriq; quàm hæc dolore eryſipelas afficit. Nam neq; cutem contendit, neque premit, neque pulſationis

ſenſum

ſenſum infert. Cæterum quæ cutem obſidet inflammatio non minorem dolorem inuehit, quàm quæ ſubiectam carnem. Vtraq; enim communes habet doloris cauſas: nempe partis caliditatē immodicam, & diſtentionem: verum quæ in carne conſiſtit, maiorem: quæ in cute, minorem ſentit pulſationem. Nam in illa magis, in hac minus premitur arteria.

CVM vero ſanguis admodum calidus ac craſſus eſt, in quamcunque partem confertim fluxerit, hanc exurit, vlcusque cum cruſta efficit. quicquid vero circunſtat, in inflammationem attollit, feruentem, ac dolore graui conflictantem. Vocatur autem huiuſmodi affectus, carbunculus. Quòd ſi influens ſanguis niger ſit, craſſus, fæculentus, ac feruidus, qualis eſt prior, admixtamq; ſaniem quandam tenuem habeat, puſtulæ in cutis ſuperficie oriuntur his quæ ex igni fiunt, ſimiles: ſub quibus ruptis cruſtoſum vlcus inuenitur. Eſt & hic affectus etiam carbunculus. Tot igitur ſunt inflammationis ſpecies ſecundum affectus naturam diuiſæ.

Quemadmodum ſanguis tenuis & feruidus eryſipelas gignit, ita vehemēter calidus & craſſus carbunculum, qui quamcunq; occupauerit partem, deurit, vlcusq; cum cruſta efficit, & cingentem partem in inflammationem attollit fer-

uentem, ac graui dolore affligentem. valenter e-nim ob materiæ craſsitudinem vrit, vlceras, ac cruſtam inducit, non aliter atq; candens ferrum, quod flamma potentius vrit. Alterum carbunculi genus parit ſanguis niger, craſſus, fæculentus, ac, vt prior, feruidus, cui admiſta ſanies quædam tenuis ſit, quæ gignendis in ſumma cute puſtulis, ijs quæ ex igni fiũt, ſimilibus, materiã ſuggerit: feroſa enim hæc humiditas, vt quæ tenuis ſit, facile in cutem, vt diximus, erumpere poteſt. Inter quam & ſubiectam carnem concluſa puſtulas parit, ſub quibus ruptis cruſtoſum vlcus inuenitur. Quæ autem huiuſmodi affectibus febris ſuperuenit, vitæ ſæpe periculum minatur. Quod vt melius intelligatur, ſcire licet craſſum hunc humorem multiplicem eſſe: primum fæci vini proportione reſpondentem, qui in animali, dum naturaliter ſe habet, quotidie gignitur. is diutius in loco calido moratus, aduſtione in alteram bilis atræ ſpeciem, eò deteriorem, quò magis incaluerit, trãſit. Tertium vero ex flaua bile, ſupra modum retorrida: prima quidem ſpecies mitis eſt: ſecunda maligna: quemadmodum & tertia. Atq; harũ ſingularum magna eſt latitudo, in maioris & minoris ratione. Qui enim vini fæci humor proportione reſpondet, magis minúsve tum niger, tum craſſus eſt, quemadmodum reliqui duo magis vel minus vſti. vnde conſtat ex atra bile varios differenteſq; affectus oriri, ex

ri, ex primo genere cancros ſine vlcere, quos & latentes appellant: cum vlcere, ſi acrimoniam quandam humor aduſtione contraxerit. Ex ſecundo & tertio, ſi quidem vehementer aduſtus ſit, carbũculi. Sæpe vero eò malitiæ humor is peruenit, vt carbonem peſtilentem generet.

MVLTAS vero ſpecies quiſpiam fortè putauerit eſſe prætermiſſas, nominum multitudine hallucinatus: cuiuſmodi ſunt bubones, phymata, phygethla, ophthalmiæ, peripneumoniæ, pleuritides, & alia multa ſimiliter nuncupata. Omnia enim hæc inflammationes quædam ſunt, in antè dictis formis compræhenſæ. quarum quæq; diuerſam ſortita eſt appellationem. Quoniam qui primi hæc nomina indiderunt, compoſitam intelligentiam, tum ipſius affectus, tum partis hunc continentis, verbo vno explicare voluerunt. Sunt enim bubo, phyma & phygethlon, glandularum affectus. Bubo quidem inflammatio: Phyma vero affectus eſt, qui & celeriter augetur, & ad ſuppurationem feſtinat. Phygethlon verò phlegmonodes, vt vocant, eryſipelas eſt, aut inflammatio eryſipelatodes. Ad eundem modum Ophthalmia, inflammatio eſt eius membranæ, quæ corneæ adhæret: Pleuritis eius, quæ coſtas ſuccingit: Angina faucium: Peripneumo-

nia vero pulmonis. eadem quoque in reliquis eſt ratio.

Morborum differentiæ maxime ab eſſentia rei ſumuntur. Nomina vero primi autoris arbitrio ſunt indita: aliquādo quidem, vt docet Galenus, à læſa particula ſumpta nuncupatione, vt pleuritis: aliquando à ſymptomate aliquo, vt teneſmus: aliquando ab vtroq;, vt cephalalgia: nonnunquam vero à cauſa tam vera, quàm putata, vt melancholia, cholera: quandoq; à ſimilitudine ad aliquid extra poſitum, vt elephantiaſis: aliquando à quadam affectus proprietate, vt phyma: interdum vero ab eo qui primus affectū eſt expertus, vt telephium: interdum ab eo qui primus curauit, vt chironium: aliquando vero ab alia re. itaq; horum non vna eſt notio. Phyma gratia exempli, non ſimpliciter ac abſolute inflammationem ſignificat, ſed glandularum: atq; eam quidem quæ celeriter augetur, & ad ſuppurationem feſtinat. Si igitur inflammationem differentias ab eſſentia rei ductas, nempe humoribus conſyderes, nihil prætermiſſum eſſe deprehendes, ſi quæ prius declarata ſunt, memineris. Sin nominū multitudine, vt plura ſunt inflāmationū nomina, ſic plures quàm quæ declaratæ ſunt, ſpecies eſſe putabis, ſed falſo. Vnus enim idemq; ſpecie morbus plures partes occupare poteſt, à quibus varia nomina accipit: inflammatio, verbi gratia, ſpeciatim vſurpata, ſi ocu-

lum

lum obſidet, ophthalmia: ſi latus, pleuritis: ſi pulmones, peripneumonia dicitur.

QVAE igitur in conſpicuis corporis partibus inflammationes exiſtunt, prompte cognoſci poſſunt, quæ vero in abditis latent, atq; omnino febres adferunt, non æquè. ſed mihi quidem videtur eiuſmodi dignotio acri iudicio egere, peritiaq; naturæ partiũ: quam ex anatome, id eſt diſſectione ſimul & exquiſita ſcientia tum actionum, tũ vtilitatum, nobis comparamus: de quibus in aliis operibus diſputatum eſt. Nunc vero de his quidem retexere ſermonem non vacat, quando te derepente peregre proficiſci neceſsitas vrget. Qua ratione autem inflammationes, quæ in ſumma cute exoriuntur, optime quis curare poſsit, tibi primum explicabo, ab eo affectu auſpicatus, qui quòd plurimum incidat, totius generis appellationem meretur. In quo id in primis, quod & in omnibus aliis maximam vim obtinet, conſiderare oportet: nempe vt morbi cauſa inueniatur.

Inflammationes omnes, quæ quidem in ſuperficie exiſtunt, euidentibus ac ſenſui conſpicuis notis deprahenduntur: quæ vero in corpore latent, ingenium ſolers efflagitant, naturaq; partium experientiam, earundem tum actionum,

tum vtilitatum exquiſitam ſcientiam: ſine quibus omnino morbus non cognoſcitur. Nulla enim in corpore pars eſt, quæ non in vſum aliquẽ condita ſit. Siquidem natura nihil temere, ſed omnia alicuius boni gratia facit. Magna igitur diligentia partium naturæ, ac proprietates, diſquirendæ ſunt: vt ex quibus actiones, & vtilitates inueniantur. Hac ratione earundem figura, magnitudo, ſitus, numerus, eſt veſtigandus. Nã ſine horum cognitione neq; actio, neq; vſus, neq; affectus, cognoſci poterit. Hæc autem omnia ex anatome, id eſt corporum reſectione, habentur: ex hac enim diſcemus, partes alias eſſe ſimplices, ac, vt vocant, ſimilares, id eſt eiuſdem rationis: alias ex ſimplicibus compoſitas, quas inſtrumentales appellant. Conſyderandum igitur eſt, qua ſubſtãtia ſint: neruoſæ'ne an oſſeæ, aut carnoſæ. Deinde quam habeant magnitudinẽ, cum quibus ſocietatem, quam conformationem, quot ſint numero, & quo ordine collocatæ: poſtea vero quomodo inter ſe connexæ ac compoſitæ. Nam ex his actio & vſus cognoſcitur. Conſtat enim naturam, vt modo dicebamus, nihil ſine ratione condere. Igitur vnaquæq; pars propriam habet ſubſtantiam, ac temperaturam, ab alia differentẽ. Vnde alia ab alijs partibus actio & vtilitas proficiſcitur. Nam pro ſua cuiuſq; ſubſtantiæ ſpecie, propriam functionem edi neceſſe eſt. A vſum enim aliquem ſuam cuiq; figuram, magnitudi

tudinem, & ſitum tribuit natura: præterea & certum earum partium numerum. Primũ itaq; videndũ eſt, cur hac aut illa ſubſtantia prædita ſit, id eſt cur neruoſa, carnoſa, oſſea, aut alterius ſubſtantiæ. Deinde cur rotunda, vel plana, vel excauata, longa, breuis, anguſta. Poſtea cur tot ſint numero, & quamobrem ſic collocatæ: quibus diligenter perſpectis, actionem ac vtilitatem cuiuſq; facile inuenies. Nam ſemper in omni inſtrumento pars aliqua inuenitur, quæ primario loco actionem edit: aliæ omnes huic obſequuntur, vt ſine quibus ſcilicet primaria actio non fieret, vel gratia quarum melius fit, vel per quas omnia hæc conſeruantur. Progreßio, gratia exempli, actio eſt quam primũ edit muſculus: reliquæ autem omnes cruris partes huic famulantur. oſſa enim motum firmant, ligamenta ſuis locis oſſa continent, nerui ſentiẽdi & mouendi vim in crus ferunt, arteriæ calorem natiuum ſuggerunt, & actionem conſeruant, venæ alimentum diſtribuunt. Hæc omnia ad commodam progreßionem, eiusq; tutelam data ſunt. Cum igitur proba actio editur, antè dicta neceſſario ſecundum naturam habere neceſſe eſt. Cum vero aut vitiata eſt aut ablata, vitium vel in ſimplicibus vel earum ſtructura eſſe conſtat. Itaq; partium cognitio actionem ac vtilitatem commoſtrat: hæc vero, ſi quidẽ vitiata eſt, morbum: ſed nondum morbi genus ac ſpeciem oſten-

dit. Quocirca alia ſymptomata veſtigare oportet, quibus hanc deprahendamus. Hæc autem ſunt excrementa & accidentia (ex his enim tribus nempe functionis noxa, excrementis & corporis accidentibus non ſolum morbi ſpecies, ſed & mores & magnitudo deprahenditur.) Accidentia vero quædam neceſſario affectũ ſequuntur: atq; hæc firma ſigna ſunt: quædam non neceſſario, ſed aut vt plurimum, aut raro, aut æque accidere ac non accidere poſſunt. atque hæc aut morbi differentiam, aut mores, aut magnitudinem fatentur. Quorum omnium exemplo vno vires patefacit Galenus lib. de Conſtitutione artis medicæ ad hunc modum: Subijciamus, inquit, membranam coſtas ſuccingentem inflammatione tentari, affectio quidem hæc, inflammatio eſt, quam neceſſario hæc accidentia ſequuntur, tumor præter naturam, rubor, & dolor. quorum duo nunc ſub ſenſum nõ veniunt. Solus igitur dolor ſupereſt, qui in coſtis fixus punctionem inuehit. Dolet igitur homo: quia inflammatione tentatur. Doloris autem ſpecies pungens eſt, quod affectæ particulæ ſubſtantia membranoſa ſit: coſtis vero hæret, quòd illic ſit locus affectus. Quinetiam dolor ipſe late diffunditur, propterea quòd ſuccingens membrana plurimum extenſa ſit. Febris porrò ex neceſsitate ſequitur, tum ob affectum ipſum, tum poſitum affectæ particulæ: quorum abſente altero, non neceſſa-

rio febris conſequetur. Neq; enim ſi digitus inflammationem patitur, febris omnino aderit, quando longe à corde affectus diſtat. Quemadmodum neq; ſi membrana veſtiens coſtas afficiatur quidem, ſed affectus ſcirrhus aut œdema ſit, verum ſpirandi difficultas neceſſario ex patiente particula naſcetur: vtpote quæ portio ſit ſpiritalis alicuius inſtrumenti. Difficilis autem ſpirationis ſpecies non à particula, ſed affectu ipſo procedit. Dolor enim ſpirandi inſtrumenta plurimum dilatari prohibet, proindeq; illorum actionem intercipit nondum completa vtilitate, quare nouam celeriter iterare coguntur, minoremq; quietem, quàm pro naturali conſtitutione efficere: atq; ſic quidem ſpiritus fit & paruus, & frequens. Sed & pulſus mutatio neceſſario ex ſuccingentis membranæ inflammatione fit, tum ea quæ febribus inſeparabiliter ineſt, tum quæ patientis particulæ occaſione gignitur. Arteriarum enim pulſus illis, quatenus febricitant, maiores, celeriores, & crebriores inſunt: quatenus autem pars inflammata neruoſa eſt, ijdem cum diſtenſione ſimul & duritie fiunt. Hæc igitur ſymptomata neceſſario ſuccingentis membranæ inflammationem ſequuntur. Cæterum & ex his, quæ neceſſario ſequuntur, vnum quoddam eſt, nempe dolor minor cum in latus vel affectum, vel huic oppoſitum, vel æqualiter in vtrunq; æger decumbit. Nam cum membrana,

quæ coſtas ambit, duplex ſit, ſi quidem pars exterior circa oſſa vehementius inflammetur, facilius in aduerſam partem decumbunt. Nam qui in affectam partem iacent, premuntur. Sin interior laboret, quod frequentius accidit, in oppoſitum latus decumbentes grauiore dolore vrgentur: vtpote quibus ſuſpenſa ſit pars inflammata. Quòd ſi in patientem locum cubent, minus dolent. Neq; enim ab oſſibus premitur, neq; ſuſpenſa eſt inflammatio: ſed horum vtroq; eſt libera. Cæterum parti quæ pati idonea non eſt, adhæret. Quòd ſi vtraq; ſuccingentis membranæ pars ſit affecta, in vtrunq; latus æquè decumbitur. Quòd vero alijs dolor ad hypochondrium, alijs ad iugulum perueniat, id ob patientis particulæ naturam & inflammationis accidens fit, nimirum doloris extenſionem. quoniam autem vſque ad iugulum membrana cingens coſtas peruenit, deſcenditq; ad totum ſeptum tranſuerſum, ſi ſuperiores eius partes inflammentur, conuelli iugulum videbitur: ſin inferiores, dolor ad hypochondrium deſcendet. Si igitur admodum exigua ſit in medio coſtarum inflammatio, in neutram partem: ſin magna, in vtramq; dolor neceſſario perueniet. Quòd ſi ſanies quædam ex inflammata parte tenuis manet, exudetq; id tum morbi, tum partis occaſione fiet. quod & in omnibus oris partibus inflammatis contingit, & oculis. Nã ex humoris influxu conſiſtit inflãmatio,

tio, & pars rara eſt, nec vti cutis conſtipata ac denſa. Cum igitur multus ſimul, ac tenuis humor in inflammatione continetur, parsq; rara eſt, copioſam foras ſaniem profundit. Contrà, ſi pauca & craſſa defluxio ſit, corpusq; denſum, parum admodum tuſsis iritabit: nihil vero expuetur. quemadmodũ ſi fluxio maxima ſit, maxima tum tuſsis tũ excreatio fiet: atq; tuſsis quidem huic affectui inſeparabiliter ineſt. Tuſsim vero excreatio non ſemper comitatur, quanquam id plurimum contingit. Si quid tamen ſpuitur, ſaliua neceſſario colorata erit, ſed non ſemper colorem habebit eũdẽ: quãdo in inflãmata particula nõ ſemper excremẽtũ eſt eiuſdẽ naturæ. Cum igitur vel cruentum vel bilioſum id fuerit (talis enim omnino eſt in pleuritide fluxio, quæ inflammationem parit) ſaliua humoris in affecta parte contenti colorem refert: rubrum quidem, ſi quod in tingentem coſtas membranam defluit, cruentum ſit: flauum vero, ſi bilioſum. Quod ſi pituitoſus humor primum impactus ac putris, defluxioni quæ inflammationem peperit, occaſionem dederit, ſpumoſa excreantur: interdum vero & nigra, ſi ex retorrido ſucco, ſeu is cruentus ſeu bilioſus ſit. Igitur id genus omnia ſimul cum affectæ partis ac morbi ipſius dignotione fluxionis differentiam oſtendunt. Hæc quidem Galenus. Ex quibus verbis facile eſt depræhendere, quæ ſigna neceſſario, & quæ non neceſſa-

rio

rio pleuritidem comitentur. Nam lateris dolor, febris, difficilis ſpiratio, pulſus diſtentio ac duritiés, tuſsis, & ſputi, ſi quod reijciatur, alienus color, inſeparabiles pleuritidis notæ ſunt. Sputi reiectio & hypochondrij iuguliq; dolor non ſemper affectum hunc ſequuntur. In nonnullis enim dolor ad hypochondrium, alijs ad iugulum peruenit. In quibuſdam vero in neutram partem vergit, alijs in vtramq;. Rurſus doloris ſpecies affectam partem, eius affectum, ac magnitudinem oſtendit. pungens enim, membranam pati: magnus autem & late ſparſus, magnitudinem affectionis ſignificat. Sic ſputi color affectus differentiã & mores fatetur: ſi quidem rubrum eſt, ex ſanguinis: ſi flauum, ex flauæ bilis: ſi nigrum, ex retorridi humoris defluxione inflammationem fieri indicat. Sic nigrum, maligniorem: rubrum, mitiorem: flauum, medium inter hos affectum eſſe teſtatur. Hæc quidem ad internarum inflammationum dignotionem pleniorem, mihi explicanda eſſe videbantur.

IGITVR inflammationũ, quæ in conſpicuo ſunt, cauſa quædam eſt non admodum occulta, quæ fluxio appellatur: niſi aliquando cum his copulentur, quæ ab alia euidente cauſa fieri videntur. Quando enim nulla harum præcedente, pars repente inflammatione eſt obſeſſa, cauſa quæ affectũ attulit ῥεῦμα, id eſt fluxio, morbus vero af-

ſectio rheumatica dicitur. Atq; in his præcipue inflammationibus, optima per initia curatio adhiberi debet. Nam qui in ipſis error committitur, aut curatu difficiles, aut omnino immedicabiles reddit affectiones. Hæc autem duo maxima ſunt vitia: nullam totius corporis rationem habere, & locum calfacere ac humectare. Nam in his duobus medici maxime delinquunt. Nonnulli enim ex methodica ſecta perſuaſi & inflammationes omnes, affectiones aſtrictas eſſe arbitrati, relaxandas eſſe ſibi putauerunt. Sunt vero, qui temere & inconſiderate illos imitantur, vnum mali agendi habentes patrocinium, nimirum ſe cum multis errare. Sed neque ex dogmaticis medicis, neque empiricis quiſpiam ita ſenſit. verum quod & ratio & experientia ſuadet, corporis vniuerſi congruas vacuationes moliri iubent: partem vero inflammatam perfundere ac illinire his quæ influentis humoris repellendi vim habeant: & qui in affecto loco continetur, inanire, roburque ac virtutem affectis iam partibus inſererei. Quæ autem vacuando obſeruari debeant, antea diximus, ac nunc quoq; paucis explicabimus, vt deinceps ſeruata memoria, iam te per ſingulos affectus vacuatiõis indicationes edoceri neceſſe non ſit. Aetatem, igitur, tem-

luia pus,

pus, regionem, præſentem aëris conſtitutionem, robur ægrotantis, habitudinem, conſuetudinem, atque ipſam morbi ſpeciem, animaduertẽdam eſſe diximus. Hæc enim, quando vacuandum, aut minime vacuandum ſit, & vnde & quo modo, docent, velut in ſubiecto affectu: Confluat in genu humor, atq; repente vehementer intumeſcat. Vbi vero vniuerſum corpus ſanguine plenum eſſe videatur, validæq; ægrotantis vires ſint, anni tempus ver, & regio modice temperata, adoleſcensq; vel iuuenis ſit æger, huic ſanguinem ex ſuper partibus mittere oportet, ſecta cubiti vena vel interna, vel media. Quòd ſi ſuperna pars affecta ſit, ex inferna ducendus eſt ſanguis. Nunquam enim incommodè fluxionis impetus in contrarium retrahitur. Cataplaſma vero ex ſemperuiuo & malicorio in vino decoctis, rhu, polentaque imponendum eſt: vt quod in his optimum ſit, omniaque quibus nobis opus eſt, præſtare poſsit. Retrahit enim quod influit, & quod iam continetur exiccat, & circunſtantes partes confirmat. Alia autem ſexcenta medicamenta eodem modo miſcere potes. quorum componendorum rationem ex libris de medicamentis didiciſti. Vnde in ſingulis vnum aliquod tibi ſubſcribam, futurum monumentum ſimul

mul & exemplum eius, quæ in aliis eſt, facultatis. Eiuſmodi vero remediis vtendum eſt, vbi dolor vehemens non eſt.

Oſtenſum nuper eſt inflammationem ex ſanguinis influxu fieri: fluxionis autẽ cauſam eſſe, aut externam, vt contuſionem, vulnus, conuulſionem, dolorem, & alia id genus: aut internam, vti ſanguinis abundantiam, & partis recipientis imbecillitatem. Fluctio autem eiuſmodi fit aliqua parte tranſmittente: Altera facile hunc recipiente, vel interdum accerſente. Tranſmittit pars, cum venæ plenæ immodicè ſunt, ſanguine vim excernendi interpellante. Recipit autem pars imbecilla, aut rara, vt prius diximus. Accerſit vero morboſo calore, vel dolore affecta. Cum igitur fluxio partim fit, partim facta eſt, geminus erit curationis ſcopus: nempe vacuandi quod influxit, & prohibendi quod influit. Fluxionem impedimus, humorem fluentem retrahendo ac repellendo, roborandoq́; partem affectam, & ſi quid fluxionem accerſit, ſummouendo. Repellimus ſectione venæ, ſi quidem vires valent: ſin minus, admotis cucurbitulis, vel ligaturis, vel frictionibus, vel calfactis partibus, directe affecto loco reſpondentibus. Repellimus admotis medicamentis, quæ hanc vim habeant. Accerſentes deſluctionem cauſas ſummouemus, partem confirmantes, ſi imbecilla ſit: ſtringentes, ſi la

ſi laxa: refrigerantes, ſi calida: dolorem demulcentes, ſi hoc ægrotus affligatur: de quibus omnibus mox dicetur. Itaq; curando errant, qui nullam per initia totius corporis rationem habent. Fruſtra enim curationem moliris, niſi corpus, ſi ſanguine abundat, prius vacuaris: ſed his quæ in hac vacuatione ſeruari debent prius conſyderatis: nempe ætate, tempore, regione, præſenti aëris conſtitutione, ægrotantis robore, & habitudine. Aetas enim infantilis & ſenilis, hyems, æſtatis ardor, regio & præſens aëris conſtitutio, iuſto calidiores atq; frigidiores, virium imbecillitas, habitudo corporis vehementer gracilis aut obeſa, vacuationem minus admittunt. Contrà ver, aëris conditio modice temperata, robur virium, corporis habitudo mediocris, adoleſcentia aut iuuentus hanc ſuadent. Ex qua autem vena ſanguis mitti debeat, poſtea docebitur. Itaq; per initia ſanguis mittendus eſt. Nam is ſecta tempeſtiue ac commode vena, ab inflammata parte in venas remeat, antequam malam qualitatẽ contraxerit: vulneratus enim locus attrahit, inflammatio vero expellit, vt in ſequentibus docebimus, antequam affigatur ſanguis infarciaturq;: vnde facile & pellitur & attrahitur, cum & venæ, per quas tranſit humor, adhuc pateant, ſcilicet nondum obſtructæ. Preterea robur partis conſeruatur. Quòd ſi tardes vacuare, humor infarcietur, corrumpetúrq; in malam qualitatem,

tem, robur partis reſoluetur, atq; affectus ægrius curabitur. Cæterum delinquunt, qui affectum locum calfaciunt, humectantq;. Hac enim ratione robur ſoluunt, relaxando irritant, recipiendæq; fluxioni proniorem partem reddunt. Ea igitur imponenda ſunt, quæ vacuent ac reprimãt, & affectam particulam roborent. Cataplaſma igitur ex ſemperuiuo, & malicorio in vino decoctis, rhu & polenta vtiliter imponitur. Repellit enim quod confluit ſtringendo: quod continetur, vacuat exiccando, affectasq; partes vtroque genere confirmat.

VBI vero grauiore cum dolore defluxio affligit, neque aqua calida, neq; oleũ, neq; cataplaſmata ex triticea farina adhibenda ſunt. Hæc enim omnia affectibus ex humorum influxu contractis aduerſantur, tametſi leuamentum quoddam ſtatim adferre videantur. Satis enim fuerit doloris vehementiam mitigare aliquo ex his quæ ex paſſo, & roſaceo, ac paucula cera cũ his ambobus liquata, conficiuntur. Hæc autem lana ſuccida, quæ œſypi plurimum habeat, excipienda ſunt: ac æſtate quidem, frigida: hyeme vero, tepida admouenda.

Quoniam dolor, vt diximus, accerſit defluxionem, hunc mitigare oportet: ſed ita vt affectui non incommodemus. Quocirca neque aqua

calida neq; oleum neque triticea farina ex vſu eſſe poſſunt. Nam calfaciendo ac humectando relaxant ac robur reſoluunt: vnde pars imbecillior redditur & ad recipiendam fluxionem pronior. Adde quòd triticea farina ſuo lentore meatus, quibus digeri humor debet, obſtruit, proinde calorem auget & dolorem. Imponenda ergo medicamenta ſunt, quæ doloris vehemētiam citra vllam noxam leuent. Quale eſt quod ex paſſo, oleo roſaceo, & paucula cera conficitur ſuccida lana, quæ plurimum habeat æſypi, exceptũ æſtate quidem frigidum: hyeme vero, tepidum impoſitum. Nam rarefacit, extenuat, digerit, euacuat, æquabilem reddit humorem acrem, lentũ, craſſum, aut multũ partibus dolentibus hærentem: vaporemq; craſſum vel frigidum, exitum commodum non habentem, diſcutit, atque ſic dolorem mulcet: nullum vero ſua caliditate infert incommodum. Roſaceum enim calorem infrenat.

AD hunc modum cataplaſmata ex arnogloſſo, lenticula, pane, & roſaceo adhibenda ſunt. Paulo vero ſupra affectum locum admouenda eſt ſpongia vino acerbo imbuta, aut aqua frigida: momentum autẽ aceti ſatius fuerit huic immiſcere. Quòd ſi ex his vtilitas aliqua memoratu digna acceſſerit, & nuſquam pus appareat, mollibus quæ aduerſus fluxiones temperan-

tur

tur emplaſtris, vtendum eſt: ex quibus optima ſunt, quæ exiccare ſimul, ac repellere fluentem ſanguinem citra dolorem, poſsint. Quocirca quæ cutem vehementer tendunt proindeq; dolorem adferunt, hæc plus lædunt, quàm exiccando proſint. Tale igitur eſſe debet medicamentum, quale nobis in vſu crebro eſt, quod ex chalcite conſtat, roſaceo temperatum. Si vero lanam mundam vino acerbo madentem extrinſecus ſuperpoſueris, maiorem vtilitatem attuleris. At vbi in parte ipſa pus apparuerit, ſemel aut iterum cataplaſma ex neceſsitate imponi debet. Ad præſens verò quod ex polenta conſtat, vtilius admouetur. Similiter autē his aceti quippiam, aut vini admiſcendum eſt. Poſtmodum vero ſecta parte, ac pure vacuato, ab oleo & aqua abſtinendum eſt. Quòd ſi vulnus forte abluere cōueniat, mulſa, vel poſca, vino & mulſo vtendum eſt. Si vero partem adhuc inflammatio occupet, cataplaſma ex lenticula imponendum eſt. Sin ab hac ſit libera, aliquod ex aliis quæ emplaſta dicuntur, & quibus in eiuſmodi ſectionibus vtimur, eoque potiſsimum quod ex chalcite conſtat. Quibus extrinſecus ſpongia, aut lana vino acerbo imbuta, ſuperponenda eſt. At ſi acerbi vini copia non

ſit, aqua cui tantum aceti admiſtum ſit, vt bibi poſsit, perfundenda ſpõgia eſt. Ad hoc autem faciunt etiam vina marina. Tu vero ſi occaſio efflagitet, vinum arte conficere poteris, ſale vino quod in promptu habueris, admiſto. Vulneri autem nullum pingue medicamentum admouendum eſt: quale eſt macedonicum, & quod tetrapharmacũ vocant: diligenter enim exiccandum eſt. Ad hunc quidem modum inflammatio, quę ex defluxione eſt, curari debet.

Eadem vtilitate ad inflammationes facit cataplaſma ex arnogloſſo, lenticula, quæ edendo eſt, pane & roſaceo, qua paulo antè commemoratum ex ſemperuiuo, & malicorio, rhu & polenta: nimirum repellendo quod influit, & vacuando quod iam affectam partem obſidet. Vacuant enim arnogloſſum & lenticula, exiccando: panis detergendo, ac digerendo: repellunt vero roſaceum, arnogloſſum, & lenticula, ſtringendo citra dolorem. Nam quæ vehementer ſtringunt, cutem contrahendo dolorem excitant, proindeq; fluxionem augent, & inflammationem. Quoniam autem compeſci defluxio mediocriter aſtringentibus non ſemper poteſt, paulo ſupra affectum locum admouenda ſpongia eſt, acerbo vino, aut poſca imbuta: vt fluenti humori via percludatur. Hæc enim pars vtpote minus

afflic

afflicta, valentius remedium admittit, & dolori minus eſt obnoxia. Quòd ſi hæc profecerint, emplaſtris quæ ad defluxiones temperãtur, mollibus vtendum eſt, ex quibus optima ſunt, quæ exiccare, & fluentem ſanguinem repellere citra dolorem poſsint. Quale eſt, quod ex chalcite conſtat, roſaceo reſolutum. repellit enim ac exiccat mixtum cum roſaceo. Id continet adipis veteris pondo duo, olei veteris pondo tria, lithargyri tantundem, chalcitis trientem. huius autem medicamenti temperandi rationem ac vtilitatem docet Galenus libro de Compoſitione medicamentorum κατὰ γένη. remollitur autem roſaceo, tum vt ſtringendi vim augeat, tum vt ſua duritie minus ledat. Ad eum quem ſuprà declarauimus vſum, lana pura ex vino acerbo madens ſuperponitur. Vbi vero plus in parte ipſa apparuerit, ſemel aut iterũ cataplaſma, ex neceſsitate imponi debet. Ad præſens autem, quod ex hordei farina cõſtat, vtilius admouetur: moliri enim prius digeſtionẽ oportet medicamẽtis ad id valẽtibus, quale antè dictum cataplaſma eſt, quàm inflammationem incidere. abunde enim exiccat, minimeq; fluxionem aut dolorem excitat. Quòd ſi vim acerbi aut aceti momentum adieceris, ſimul fluxionem impedies, imponi ſemel aut iterum debet, vt obſeruemus, an ſperare exhalationem poſsimus, nécne. Si enim exiguum eſt, quod in pus eſt verſum, idemq; tenue,

& cutis rara, primo aut altero emplaſtro multum profeceris, ac digeſtionem ſperaueris. At ſi puris, eiuſq; craſsi copia medicamenta ſuperet, nulla exhalationis ſpes haberi poterit: quo circa, vt Galenus ait, exitum ei quod digeſtioni nõ ceſsit, eo potiſsimum loco facere oportet, quo eſt editiſsimum. quippe tenuiſsimam illic inuenies cutem. Poſt inciſionem & puris vacuationem ab oleo omnino, & aqua eſt temperandum: vulnus enim exiccari, ac detergi poſtulat: aqua autem humectat, & oleum ſordem parit. Itaq; ad hanc rem vtrunq; eſt inutile. Cum igitur abluere ac detergere oportet, mulſa, poſca, vino, & mulſo vtendum eſt. Poſca enim ſordis craſsitudinem tenuat ac reſoluit, reliqua detergunt, idq; citra dolorem. Quòd ſi poſt ſectionem dolor vrgeat, is primum fomentis, deinde cataplaſmate, mox humectante aliquo medicamento, aut non ſiccante, ſingulis ſcilicet extrinſecus ſuperpoſitis mitigandum eſt, vt docet Galenus. Si vero pars adhuc inflammata ſit, cataplaſma ex lenticula imponendum eſt. Vacuat enim & repellit, vt modo dicebamus. Sin ab inflammatione ſit libera, aliquod ex emplaſtis, ac etiam ex ipſis emplaſtris, quibus in eiuſmodi ſectionibus vtimur, maximéque quod ex chalcite conſtat, adhibendum eſt, tum vt ſanguinis profuſio, tum vt inflammationis generatio impediatur: atque hac ratione ſpongia aut lana vino acerbo imbuta ſuperpo-
nend

nenda eſt. Et ſi eiuſmodi vinum in promptu non ſit, aqua cui tantum aceti admixtum ſit, vt bibi poſſit, perfundenda ſpõgia eſt. Vbi vero nulla iam inflammationis aut defluxionis erit ſuſpicio, deſiccare vlcus ac detergere oportebit. Itaque commodiſſime vinum marinum, aut aliud quodcunque ſalſum adhibetur. Contra ineptiſſima ſunt pinguia omnia medicamenta, quale tetrapharmacum eſt: vlcus enim ſordidum reddit. Conſtat ex ceræ, reſinæ, colophoniæ picis, ſeui taurini, ſingulorum pari portione.

QVAE vero ab aliis cauſis fiunt, humectare ac calfacere nihil vetat. Et ſi ad ſuppurationem has ducere velis, cataplaſma ex triticea farina, in oleo & aqua decocta inducendum eſt. Neque timenda ſcarificatio eſt, ſi quando ea opus ſit. Quæ vero ex humorum influxu fiunt inflammationes, non ſine magno malo ſcarificãtur, maxime per initia. Veteraſcentibus autem quæ poſt totius corporis vacuationem, aliamq; idoneã curationem, duritiem quandam ac nigrorem in partibus reliquerunt, auferre ſanguinem non eſt incommodum. quando inflammationes amplius exiſtimandæ non ſunt. Quemadmodum neque eryſipelas, ſi iam liuorem contraxit.

Aliæ, quæ inflammationẽ excitant, cauſæ,

ſunt vulnus, vlcus ſponte ortum, contuſio, cõuulſio, fractura, ruptura, luxatio, laßitudo ex immodica exercitatione, quæ quatenus dolorem in laborante particula efficiunt, fluxionem accerſunt. Curationis ſcopus erit per initia quidem, etiam ſi plenitudo non adſit, venam ſecare, vt Galenus ait libro de Curãdi ratione per ſanguinis mißionẽ. Citra plenitudinẽ, inquit, inflãmationis initio quæ aut propter ictũ aut propter dolorẽ, aut partiũ debilitatem prouenit, prodeſt venæ ſectio. Nam dolor ſanguinem ad ſe trahit, & ſæpe partium debilitas inflammationem, citra corporis plenitudinem procreat. Infirma enim pars prompte grauatur, ſi paulo plus excrementi in ea aceruetur. Eadem ratione in ijs agendũ eſt, quibus pars aliqua corporis grauiter icta eſt, aut vtrunq; aliter incipiẽtem habet inflammationem: quam ſi fore magnam ſuſpicamur, ab inanitione curationem auſpicamur, aut purgante medicamine adhibito, aut vena inciſa, prout alterum altero magis conuenire iudicamus, quo pacto dolorem ſummouemus: deinde qui iã partem occupat humorem vacuamus. Nam ſimul atq; conquieuerit dolor, fluxio ſiſtetur, niſi ſimul plenitudo ſanguinis adſit: cuius curandæ rationem prius prodidimus. Si autem diſtenta admodum pars ſit, quam inflammatio premit, totum corpus vacuare oportet, etiam ſi plenitudine non laboret: poſtea affectum ipſum. neque, ſi

res

res efflagitat, timenda ſcarificatio eſt. Cum igitur neq; morbi magnitudo, neq; humorum redundantia vacuationem expoſcit, dolor mitigãdus eſt: & qui affectam partem occupat humor vacuandus. Itaq; nihil vetat humectare ac calfacere. Nam ſi quod defluxit, vacuamus, & dolorem lenimus. Vbi vero digerendæ defluxionis ſpes non eſt, molienda eius concoctio eſt cataplaſmate ex triticea farina, in oleo & aqua decocta. hoc enim ſuo calore mediocri concoctionem iuuat. & lentore meatus obſtruendo, partis calorem natiuum digeri prohibet. augeri enim eius ſubſtantia, non autem qualitas intendi debet, vt celerius pus gignatur. Quod ſi materia craſſa eſt, & reſolutioni aut concoctioni contumax, impactaq; carnis meatibus (qualis eſſe ſolet in diuturnis inflammationibus, & eryſipelatibus male curatis: ſcilicet reſoluta tenuiori humoris parte, craßioreq; in meatibus relicta) & ſi in vulnerum inflammationibus aquoſa ſanies effluxerit, ſanguisq; craßior in ambiente loco remanſerit, ſcarificatio timenda nõ eſt, præſertim vbi durities, liuor, aut nigror apparuerit. Locus enim hic durus eſt, ob impactam craßitudinem: liuidus ac niger, ob caloris abſentiam, qui per arterias in affectum locum propter obſtructionem peruenire non poteſt. Itaq; in eiuſmodi affectibus ſine periculo ſcarificandus locus eſt, præſertim ſi, vt modo dicebamus, neque

morbi magnitudo, neq; corporis plenitudo dehortetur. Secus autem fit in inflammationibus ex humorum defluxu: non enim ſine incommodo ſcarificari poſſunt, præſertim per initia. Humorem enim alioqui ad fluxionem pronum, tranſmittentibus ſcilicet partibus, eius abundantia iritatis, ſcarificatio proritat. In alijs inflammationibus totus ſemel ob ictum, vel contuſionem, vel alias cauſas euidentes, humor defluere ſolet, accerſente hunc dolore. Qui vbi ſedatus fuerit, & fluxio cõquieuerit, nullum proritandæ defluxionis erit periculum, niſi ingens rurſus ex ſcarificatione dolor excitetur.

HOC enim per initia refrigerari deſiderat, ac potiſsimum cum ſine manifeſta ſit occaſione. Quando vero iam feruor abeſt, cõfert ſcarificare, & cataplaſma ex hordeacea farina calidum imponere, & ceratum, aliudq; medicamentum, quod digerendi vim obtineat. Non tamen ex vena ſanguis in hiſce neceſſario mittitur: ſed ventrem per inferiora purgare ſufficit, adhibito medicamẽto quod flauam bilem ducat. Quòd ſi exigua ſit affectio, ne hoc quidem neceſſarium eſt, ſed abunde erit acri vti clyſtere. Quæ vero ex vlceribus fiunt eryſipelata, quæq; ſimiliter manifeſtas habent cauſas, neque ſi ſtatim cataplaſma ex hordeacea farina, præſertim loco antea ſcarificato

imp

impoſueris, lædes.

Vt in inflãmatione humor quantitate, ſic in eryſipelate qualitate magis delinquit. Itaq; in hoc neceſſaria ſanguinis miſsio non eſt. Sed ventrem per inferiora purgare ſufficiet, medicamẽto, quod bilem exigat, ſi affectus magnus ſit. & corpus bile abundare videatur: vel acri clyſtere, ſi exiguus morbus ſit; & corpus bile vacuum. Sãguinis enim miſsio corpus vniuerſum vacuat: quod in eryſipelate neceſſarium non eſt, ſed ſolũ, vt dixi, delinquentem ſuccum purgare oportet. Poſt corporis purgationem (nam ante hanc tutum non eſt fluxionem ex ignobili parte intrò repellere, timendum enim eſt, ne in princeps membrum feratur) affecta pars refrigeranda eſt, eo quidem magis, quò bilis ſanguine vehementius inflammatur. Semper enim æquali medicamentorum exceſſu contrarius naturæ exceſſus abigendus eſt, vt in priore commentario docuimus. Refrigerant autem ſolanum, ſemperuiuum, portulaca, vmbilicus veneris, pſyllium, altercum, lenticula paluſtris, intybum, ceratum ex aqua admodum gelida. quibus tantiſper vtendum eſt, dum eryſipelatis color ſit mutatus. tum enim à refrigerantibus eſt abſtinendum. Ad contraria vero eſt tranſeundum, hoc eſt ad digerentia & exiccantia. Humor enim hunc morbum generans vacuari debet. vbi igitur feruor ſubſederit, cataplaſma ex hordeacea farina calidum impo-

nend

nendum eſt, & alia medicamenta, quæ digerendi exiccandiq́; vim habeant. Quòd ſi forte liuor iam locum occuparit, inciſa antè cute cataplaſma ſuperponendum eſt, perfundendusq́; locus, plurimum quidē aqua calida, (digerit enim ac plagas abluit) deinde ſi materia craßior ſit, marina aqua aut muria. Nam craßitudinem incidit, ac detergit. Simili modo & quæ ex vlceribus alijsq́; euidentibus cauſis fiunt, eryſipelata primum ſcarificari debent: deinde cátaplaſma imponi. Nam effuſa per vulnus aut vlcus ſanie aquoſa, reſolutaq́; tenuiore humoris parte, craſſa ſubſtantia meatibus infarta relinquitur, quæ cum neq; digeritur neq; concoquitur, ſcarificationem requirit, ſcarificatioq́; exiccationem.

INFLAMMATIONI vero eryſipelatodæ & eryſipelati phlegmonodi miſta, quoad fieri poteſt, curatio eſt adhibenda, atque ei quod magis vincit, ſemper repugnandum.

Inflammationem eryſipelatodem & eryſipelas phlegmonode miſtos affectus eſſe ex inflammatione & eryſipelate, prius oſtenſum eſt, nominaq́; ſortita à vincente affectu. In quo enim eryſipelas præpollet, eryſipelas phlegmonode: in quo vero inflammatio, eryſipelatodes inflammatio: in quo neuter affectus vincit, inflammatio & eryſipelas dicitur: Quibus omnibus facile cu-

ratio

rationem adhibebis, ſi quæ de inflammatione & eryſipelate prodita ſunt, memoria tenueris. Quoniam autem vterq; affectus calidus eſt, & ex humorum defluxione ſit, vterq; & refrigerari & vacuari deſiderat: atq; id ipſis eſt cõmune. Verum quoniam inflammatio quantitate, eryſipelas qualitate magis premit, hoc magis refrigerari, & minus vacuari: illa cõtrà, magis vacuari, & minus refrigerari debet. Eryſipelas enim ſanguinis miſsionẽ, & quæ valide repellãt, medicamenta reſpuit: refrigerantia vero maxime requirit. Cõtrà, inflammatio totius corporis vacuationem, quæ per miſsionem ſanguinis fit, & quæ vehementer reprimant, medicamenta efflagitat. Cum igitur in hac miſtione affectus alter alterum ſuperat, remedia quæ præpollenti conuenire prius oſtendimus, tantum augenda ſunt, quantum vicerit. Cum vero neuter ſuperat, æquali modo miſta adhibenda ſunt.

BVBO vero, & phyma, & phygethlon eadem ratione, qua & aliarum partium ſimiles affectus, curari debent: præterquam in partibus, quæ iiſdem affectibus laborantes acriora medicamenta ferre poſſunt. Cuiuſmodi ſunt glandulæ.

Bubo, phyma, & phygethlon, glandularum affectus ſunt, vt prius declaratũ eſt. Fiunt autẽ quemadmodum aliæ inflammationes, aliquãdo quidẽ ex ſola defluxione, aliquando vero ab euidente

dēte cauſa.defluxionē plenitudo, vel cacochymia parit. Nonnūquā cū plenitudine vel ſucci malignitate euidēs cauſa. Interdū vero viſcerū inflāmationes. Cum igitur ſola defluxione bubo excitatur, ſi quidem hanc plenitudo mouit, detrahēdus ſanguis eſt, modo nihil prohibeat. Si vero ſanguinis miſsionem vel formidet, vel ferre nō poſſit æger, quæ læſa non ſunt membra ſcarificanda ſunt, vt docet Galenus. Manu enim, inquit, laborāte, ſcarificabis crura. Altero vero crurum male habente, reliquū: poſt corporis vacuationē, nō antè, tuto repellētia adhiberi poſſunt: quēadmodū nec ante purgationē, ſi ex cacochymia defluxio oriatur: imo ſi peſtilēs, vt ſæpe fit, vel alioqui maligna ſit, à repellentibus eſt omnino abſtinendū. Quòd ſi à viſcerū inflāmationibus excitatus bubo ſit, cōmodiſsime ſanguis ducetur ex vena affectui è directo reſpondente. Si vero ab vlcere vel alia euidēti cauſa, ſitq; corpus omnino ſanum, id eſt, non laboret vel plenitudine, vel cacochymia, facile affectus curabitur: nimirū impoſito toti mēbro medicamēto, quod modice calfaciat ac humectet, vt dolor laxata cute mitigetur. quale tetrapharmacū eſt oleo vel aliquo laxante liquatū. Neq; enim quemadmodū in alijs, quæ ex defluxione fiunt, inflāmationibus reſtringentia adhibēda ſunt: totū verò mēbrū hapſo lanæ ex oleo calente imbuto circūdandū eſt. Ipſi vero vlceri imponi debet remediū, quod dolorē mitiget:

tiget, ſuper quod & calidũ cataplaſma ex farina, vel hordeacea vel triticea, vel ambabus. cum aqua & pauco oleo miſtis, extrinſecus dãdũ eſt. Inflãmatæ quoq; glandulæ lana ex calido oleo primo die ſine ſale admouẽda eſt, dolorẽ enim demulcet. Poſtea vero remiſſo tumore & dolore ſedato ſal addi poterit, quo ipſa deſiccetur. Si verò vnà plethoricũ corpus ſit, vel malo ſucco redũdet, à calidis omnino tẽperabimus, vt quæ fluxionem magis iritẽt. In primis igitur vacuãda plenitudo erit, ſi nihil, vt modo diximus, impediat: & malus ſuccus purgãdus. Poſtea ſi quæ inflãmationis reliquiæ ſuperſint, eiſdẽ præſidijs, quæ buboni dũ corpus ſanũ erat, adhibuimus, vtendũ nẽpe modice calfacientibus, ac humectantibus: deinde mitigato dolore, digerẽtibus. Quòd ſi de digeſtione deſperes maturãtibus & reliquis auxilijs: quæ aliarũ partiũ inflammationibus conuenire prius docuimus, vteris. Phyma autẽ, quoniã ferè citra vlceris occaſionẽ fit, ſanguinis miſsionẽ efflagitat. Cũ vero in tantã magnitudinẽ attollitur, vt glãdulas vehemẽter diſtendat, poſt vacuationẽ ſcarificari debet: deinde alia remedia adhibenda, quæ poſt ſectiones conuenire prius docuimus. In phygethlo vero, quoniam miſtus affectus eſt ex inflãmatione & eryſipelate, alterutrius remedia augẽda, vel minuẽda erũt, pro ſuperantis in mixtura ratione, vti modo diximus.

HERPETES autẽ, quatenus ad vniuerſi

corpo

corporis vacuationem attinet, vt eryſipelata, curari debent: quatenus vero ad affectã particulam, non eadẽ omnibus cura adhibenda eſt. Exedentes enim refrigerari volũt, queẽadmodũ & alij herpetes, & eryſipelata: nõ tamen medicamenta ferunt, quæ præterquã quòd refrigerant, etiam humectare idonea ſunt: ſed ſolũ refrigerãtia admittunt, præſertim quæ exiccare poſsint. Quocirca neq; lactuca, neq; polygonum, neq; lenticula, quæ in paludibus naſcitur, neq; paluſtris lotus, aut anthylliõ, aut pſyllion, aut portulaca, aut ſeris, aut ſemperuiuũ, aut aliud id genus quod refrigerare ac humectare poſsit, eſt adhibendũ: quæ quidẽ eryſipelatibus ſunt familiaria. Sed nec ſpongiæ frigida imbutæ, aliquãdo, nec ſolano fidendum eſt, tametſi refrigerare ac exiccare poſsint, ſed modice. Herpetes vero vehementiorẽ quàm ſolani ſiccitatẽ expetũt. Igitur per initia imponendi vitiũ capreoli ſunt, ac rubi, & canini rubi germina, & arnogloſſum. Deinde lenticula admiſcenda eſt: nõnunquã & mel, & polenta, & quod prius deſcripſimus ad inflammationes ex defluxione cataplaſma, ſi ab eo ſemperuiuũ detraxeris. Exulcerata autẽ loca medicamẽtis, quæ ad herpetas in libris Pharmaceuticis, id eſt, de cõpoſitione medica

dicamentorum deſcripta ſunt, inungere oportet. Eiuſmodi enim multa paſsim habentur in orbiculos digeſta, qui, dum vſus efflagitat, paſſo diluuntur. Quòd ſi in promptu paſſum non ſit, vino tenui, & albo & leniter aſtringente vtendum eſt, quale Falernũ eſt, Maſsilienſe, Sabinum, Adriaticum, & Arſynium: quæ nondum guſtus acrimoniam vetuſtate contraxerint. Et ſi in horum vicem interdum poſca aquoſa vtaris, nihil minus conſequêris. Iam verò inueteratis vlceribus neque paſſo diluendi paſtilli ſunt, neque amplius aquoſa poſca eſſe debet. At vina quæ aſtringendi vim poſsident, plurimum iuuant: maxime quidem nigra, aut ſi ea deſideremus, alba. Ex medicamentis vero quæ hoc tempore accommoda ſunt, optimum eſt, quod Polyidæ aſcribitur, Paſioni, Muſæ, Androni, & alia his ſimilia. Herpetes vero qui tantũ ſummam cutem exulcerant, niſi veterauerint, nullo horum inungere oportet: Vehementia enim ſunt ac valide exiccant, ſed eiuſmodi herpetibus ſufficiunt, quæ glaucij vim habent, maxime aqua reſoluta. Quòd ſi hęc nihil profecerint, acetum miſcendum eſt: vtilius autem ſuccus ſolani, & arnogloſsi additur. Hoc porrò in ſumma in omni vlcere cognoſcendum eſt, ſiue id ſponte, ſiue ex caſu, ſiue ex vul-

nere acciderit, nimirum quod ſemper exſiccari deſiderat, medicamento, vt inquit Hippocrates, nõ moleſto, hoc eſt neq; mordente neq; irritante vehementer, niſi malignũ, ac putre ſit. Nam id genus vlcera acerrima medicamenta efflagitant, & quæ igni vires proximas habeant. Quale eſt miſy, chalcitis, arſenicum, calx, & ſandarache. ignis enim modo deurunt: quæ ſi malo cedunt, ipſo igni vtendum eſt.

Bilis craſſa exedentem, tenuis miliarem herpetem gignit. In hoc puſtulæ paruæ excitantur, in illo tota cutis vſq; ad ſubiectam carnem exulceratur. Igitur quatenus ex bile flaua vterque conſtat, communem cum eryſipelate habet curationem, nempe bilis purgationem. Quatenus vero ad affectus ipſos attinet, partim communem, partim diuerſam. Omnes enim refrigerari volunt, ſed non omnes exiccari. Nam eryſipelas frigidis & humidis, minime autem ſiccis remedijs gaudet, vt modo dicebamus. Herpetes vero refrigerari ac exiccari, minime autem humectari volunt. Quoniam rurſus herpetem tenuis humor creat, abunde fuerit, vel aluum leuiter ſoluere, vel vrinas prouocare. atque in miliari quidem, blandiori medicamento, quo dilutior bilis eſt, & attrahit pronior. In eryſipelate verò, quia craſſior humor, ideo vehementiore medicamento eſt

opus,

opus. Quatenus igitur ad affectus attinet, herpetem exiccare oportet : exedentem quidem magis, quoniam cum profundiore vlcere, & humore tum vberiore, tum craßiore eſt. Miliaris vero ſolam cuticulam exulcerat, vt in quo ſuccus tenuior ſit : ideo minus exiccari debet. Per initia igitur vacuato corpore, exedenti herpeti imponenda ſunt, quæ influentem humorẽ reprimant: quodq́; iam fluxit, vacuent :quales ſunt vitium capreoli, & rubi, & canini rubi cacumina, & arnogloſſum : deinde vero intendenda medicamenti vis eſt, admiſtis lenticula quæ edendo eſt, melle, & polenta. Eadem vtilitate dari poterit cataplaſma, quod ſuprà ad inflammationes deſcriptum eſt, ſi ab eo ſemperuiuum detraxeris: omnia hæc potenter exiccant, & quantũ ex vſu eſt, fluentem humorem regerunt. Poſtea vero vbi exulceratus herpes eſt, proderit (vt ſcribit Paulus) plumbi recrementum ex contuſæ rutæ ſucco, vel myrtino cerato exceptum. Item & quod habet lanæ veteris illotæ, ad tedam crematæ, pondo denarium duodecim & ſemiſſem, plũbi recrementi pondo denarium vndecim: ſeui caprilli curati, & aqua loti, põdo denarium viginti quinq; : olei myrtini pondo quincuncem. Sunt & alia permulta huic vitio accommoda, qualia ex alga & ſandyce : de quibus Galenus in Methodo medẽdi meminit. Paſtilli item apud eũdẽ autorem libro de Compoſitione medicamentorum

quinto, & apud Paulum libro ſeptimo: præſertim vbi iam affectus inueterauerit, quorum optimus eſt, qui Polyidæ aſcribitur, Paſioni, Muſæ & Androni. Polyidæ paſtillus habet aluminis ſciſſilis pondo denarium trium, thuris pondo denarium quatuor, myrrhæ tantundem, atramenti ſutorij, chalcanthi, pondo denarium duum, citinorum pondo denarium duodecim, fellis taurini pondo denarium ſex, aloës pondo denarium octo, vino auſtero excipiuntur. Eiuſmodi autoris alius paſtillus, quæ Sphragis dicitur, valens ad idem, habet malicorij denarium pondo ſex, myrrhæ denarium pondo octo, aluminis ſciſſilis pondo denarium quinq;, thuris pondo denarium quatuor, atramēti ſutorij pondo denariū trium, fellis taurini denarium pondo ſex, vino dulci excipiuntur. Paſionis, ſquamæ æris pondo denarium duodecim, æris vſti, aloës, aluminis rotundi, æruginis raſæ, thuris, ſingulorum pondo denarium octo, vini quod ſatis eſſe videbitur. Muſæ, aluminis, aloës, myrrhæ, chalcanthi, atramenti ſutorij, ſingulæ ſeſcunciæ: croci, crocomagmatis, ſingulorum pondo denarium ſex, vino excipiuntur. Andronis, Citinorum pondo denarium decem, gallæ pondo denarium octo, myrrhæ pondo denarium quatuor, ariſtolochiæ pondo denarium quatuor, atramenti ſutorij pondo denarium duum, aluminis ſciſſilis tantundem, myſeos cyprij pondo denarium duum paſſo excipiuntur.

tur. Celſus libro quinto ad eundem autorem paſtillum huic ſimilem refert, capit gallæ, atramenti ſutorij, myrrhæ, ſingulorum pondo denarij vnius, ariſtolochiæ, aluminis ſciſsilis, ſingulorum pondo denarium duum, capitulorum punici mali pondo denarium quindecim, ex paſſo coactorum: hi enim paſtilli exedentibus herpetibus maximeq́; inueteratis conueniunt. Minime vero miliaribus, & qui tantum ſummam cutim exulcerant. Vehementes enim ſunt, ac valenter exiccant. Exemplaria Græca typis excuſa legunt, καίει γὰρ ἰσχυρῶς καὶ ξηραίνει σφοδρῶς. *Aliud manu ſcriptum habet,* ἔστι γὰρ ἰσχυρὰ καὶ ξηραίνει σφοδρῶς, *quod nos ſequuti ſumus. Eiuſmodi enim paſtilli non exedunt, tantum abeſt vt vehementer vrant. His enim Galenus vtitur in partibus carbunculo vicinis, quas vlcerare non oportet, vt mox docebitur: vehementiores tamen ſunt, ac potentius exiccant quàm quos miliares herpetes ferant, ſcilicet leuiter deſiccare volentes. Initio tamen reprimentia deſiderant, modo, vt dictum eſt, corpus malo humore non abundet. vbi vero iã fluxus reſtitit, deſiccare magis conuenit, ſed medicamento blando: quale eſt apud Paulum libro ſeptimo: quod recipit, ceruſſæ, amyli, glaucij, aluminis æquales portiones, cum vino aut loti paluſtris ſucco teruntur: quòd ſi nihil profecerit acetum, ſolani vel arnogloſsi ſuccus adijciẽdus eſt. Omne enim vlcus quacũq;*

occaſione natum ſit, ſiue ſponte ſiue manifeſta cauſa, exiccari debet medicamento blando minimeq; mordente, hoc eſt, vt Hippocrates ait, μὴ περισσικελέ, ne fluxio proritetur. Cum enim ſanies quædam aquoſa vlcus humidum reddat, curationemq; remoretur, exiccantia requirit. At vbi cacoëthes putridumq; eſt, acerrima medicamenta, & quæ igni vim proximam habeant, deſyderat. Cacoëthe vlcera, id eſt maligna, ſũt quæ rite decenterq; omnibus adminiſtratis nõ ſanantur, vt Galenus docet. Quod fit vel ob vlceratæ partis intemperantiã, vel confluentem humorem. Intemperantia aut ſola eſt, aut cum alio affectu cõiuncta. Aliquãdo enim vlceris labra, aut tumida ſunt, aut putria, aut dura, aut calloſa, idq; vel cum liuore, vel nigrore, vel rubore, vel etiam decoloratũ vlcus eſt, ſignificatq; ingentem natiui in parte vlcerata caloris perniciẽ. Aliquãdo vero adeo increuit affectus, vt & mẽbranæ & oſſa ſubiecta corrupta ſint. Cõfluens humor deliquit, aut quãtitate, aut qualitate. Hunc autẽ effundit varie ſupra affectã particulã, vel liẽ in auctus, vel iecur, vel alia corporis inſignis pars, vel corpus ipſum male affectũ, vt in Hiſpanica ſcabie laborãtibus videre eſt. Sicca igitur intemperantia fotu aquæ tẽperatæ corrigitur: tãtiſper autẽ foueri debet, dũ rubeſcat attollaturq; partis moles. Humida vero vino, poſca, aut herbæ auſteræ decocto emendatur. Ad eundem modum

calida

calida refrigerari, frigida calefieri oportet. Tumoris autẽ curatio partim tradita eſt, partim in ſequentibus docebitur. Quòd ſi vlceris labra ac etiã ambiẽs locus, dura, calloſa, aut putria ſint, ea vel ſcapello excidenda, vel ferro adurenda, aut medicamento exedenda ſunt. Sin ſolum liuida, nigra, aut rubra appareant, primum ſcarificare, ac ſanguinẽ educere oportet: deinde ſpongiam admouere ſiccam: poſtea ſicca remedia adhibere: quæ ad perfectam vſq; curationem iteranda ſunt. Si vero influens ſuccus nec copioſior nec deterior iuſto ſit, admotis ſupra vlceratam partem aſtringentibus ac refrigerantibus medicamẽtis repelli debet, ſumpto deligandi initio à laborante parte verſus ſanam, vt in oſsium fracturis: ipſi vero vlceri medicamentum adhibendum eſt ,. quod vehementius ſiccet, quàm quod ſimplici vlceri. Quòd ſi fluxus his auxilijs compeſci nequeat, huius cauſam inueſtigare oportet, ac adimere. Nam ſi partis imbecillitas occaſionem attulerit, imbecillitatem vero intemperantia, hanc contraria qualitate, vt modo diximus, ſummouere oportet. Sin ſanguinis copia in toto corpore parit defluxionem, vacuare aperta vena oportebit: ſi vero cacochymia, purgare. Quòd ſi pars aliqua hunc humorem in affectum fundit, videndum an per imbecillitatem, an plenitudinem id fiat. Nam ſi varix ſupra vlceratum locum, ſuccum tranſmittat, ea

prius excidenda eſt: ſin lien inauctus, hunc inanire expedit. Si rurſus eiuſmodi partes ob affectum aliquem hoc malum contraxerint, huic quoque conſulendum eſt. Hæc autem omnia fuſiſsime Galenus libro Methodi medendi quarto tractat.

QVOCIRCA & carbunculis, vt vocāt, ſuper ipſam cruſtam, vbi pars maxime putreſcit, commode hoc medicamētorum genus adhibebis, intactis tamen vicinis partibus, ne imprudens ſine vlla neceſsitate exulceres. Sed paſtillis antè cõmemoratis vtendum eſt: qualis eſt Andronius. Quòd ſi rubor aliquando locum occupet, aut ingens ardor, medicamentum paſſo diluendū eſt, vel arnogloſsi ſucco. Sin tumor magnus ſit, primum vino acerbo, deinde adiecto aceto diſſoluitur. Cataplaſma autem ex eruina farina, & mulſo aceto imponendum eſt: atq; in primis initio ſtatim tantum ſanguinis, quantum ſatis eſſe videbitur (niſi quid vetet) detrahendū m eſt.

Carbunculus ex humore craſſo feruidoq; gignitur, cui ſi pituitoſa ſanies miſta ſit, cum puſtulis: ſin ſyncerus ac purus, ſine his: quam occuparit partem, exurit, exulcerat, ac ei cruſtam inducit, magis minúsve, pro humoris conditione. Nam vbi craſſus ſanguis vritur, minus: vbi flaua bilis ſupra modum torretur, magis periculo-

ſum

ſum carbunculum creat. Interdum vero vitioſam peſtilentemq; putredinem contrahit, isq; enecare protinus ſolet. Quò igitur vitioſior is humor eſt, eò maiore cum periculo in corpus repellitur. Refrigerari tamen affecta particula magis cupit, humorq; vacuari. Verum is propter ſuam craßitudinem facile reprimi non poteſt frigidis ac ſiccis medicamentis: nec ſi poteſt, tutò (ſi quidem is malignus ſit) intrò repellitur. Sed nec in affectam particulam affatim fluere ſinendus eſt, ne grauißimum dolorem excitet, ac febrē, & eius quam occuparit partis, natiuum calorem dißipet, nonnunquam etiam cum vitæ periculo. Quænā igitur curandi ratio eſt adhibenda? Galenus certe primum à ſanguinis mißione incipit, ac ea quidem, quæ animi deliquium adferat. Hæc enim totum corporis habitum refrigerat, & febrem acutißimam, quæ hunc affectum ſequitur, extinguit. Deinde affectæ particulæ medicamēta admouet, quæ modice reprimēdo etiam digerere poßint citra manifeſtam caliditatem. quale eſt cataplaſma ex arnogloſſo, lente diſcocta, panis mica, neq; planè furfuracei, neq; à furfure omnino puri, in furno cocti. Poſt ſanguinis mißionem, & mitigatum dolorem, tumorem ſcarificandum eſſe cenſet, inciſionibus paulo ſuper mediocres altioribus, propter humoris craſſitudinem, vbi ſcilicet defluxio iam reſtiterit. Quòd ſi ſub cruſta pars putreſcit, exedentia

medicamenta acerrimaq́, qualia Galenus enumerat, adhibenda: ſed à vicinis partibus abſtinere oportet, vt quæ eiuſmodi adurentibus remedijs non egeant. Satis enim facient Andronis, & alij commemorati paſtilli, vino dulci, aut ſapa reſoluti: vel ſi inflammatio ruborq́; ingens videatur, arnogloſſi ſucco, aut vino acerbo: deinde aceto adiecto, ſi tumor magnus ſit. Cataplaſma etiam ex eruina farina & aceto mulſo imponendum eſt. Nam & repellit & digerit modice.

HAEC quidem generatim ſunt eiuſmodi affectuum remedia: quę pro affectorum inſtrumentorum natura mutantur. Quatuor autem ab his ſumuntur indicationes, nempe ex eorum temperatura, conformatione, poſitu, et facultate. Temperatura quidem, ſiquidem ex iis quædam ſunt natura ſicciora, quædam humidiora, alia autem frigidiora, alia vero calidiora: & ex copulatis ſimplicibus aut humidiora, & calidiora, aut humidiora & frigidiora, aut ſicciora & calidiora, aut ſicciora & frigidiora, aut omnino temperata. Sitq́; tibi in curando ſcopus, partis natura. Hæc enim docet, quatenus ſit refrigerandum aut exiccandum. Carnoſæ enim partes inflammatione obſeſſæ, leuiter ſunt exiccandæ: & venoſæ quidem, licet

licet ſint carnoſis ſicciores, non tamen multum ſunt exiccandæ. Arterioſæ vero, magis quàm venoſæ, atq; his magis neruoſæ, multo vero amplius cartilaginoſæ, & oſſeæ. Non enim antè, quàm ad propriam naturam pars reducta ſit, finem curationi impoſitum eſſe exiſtimandum eſt. Ad ſicciorem autem temperaturam reducunt medicamenta natura ſicciora: ad frigidiorem vero, frigidiora. Ad eundem quoque modum in reliquis duabus qualitatibus. Ad mediocritatem vero, quæ qualitatum omnium ſunt media.

Quæ generatim omni inflammationi curatio adhibenda eſt, hactenus proditum eſt. Quo modo vero pro laborantis particulæ conditione ea ſit mutanda, definiendum eſt. Neq; enim partes omnes ſimili morbo affectæ eadem admittunt remedia. Oculus, verbi gratia, non niſi blandiſſima recipit. Oſſa vero acerrima ſuſtinent. Ab his igitur quatuor, ſumuntur indicationes: nempe à temperamento, formatione, poſitu, & facultate. Quoniã autẽ virtus eſt, qua viuimus, valemus, probas actiones edimus, quæq; morbo tanquã aduerſatrix opponitur. hanc omni ratione in omni valetudine tã proſpera, quàm aduerſa ſeruare debemus. Seruamus autem, ſi quod de eius ſubſtãtia perijt, reſarciamus: aut quod alteratũ eſt corrigamus, prohibeamusq; ne quid ex ea deteratur.

teratur, aut in alienam qualitatem mutetur. Eius vero ſubſtantia in ſpiritus, carnis & vere ſolidarum partium contemperamento conſiſtit. quandiu enim omnes integræ contemperatæq; manent, viuimus, valemus, probas actiones edimus. Contrà ægrotamus, improbas actiones edimus, corruptis his ac alteratis ſubſtantijs. Rurſus eas reſarcimus, ac custodimus, ſpiritalē quidem, inſpirabili, tranſpirabili, ac vaporoſo alimento: Carnoſam autem & ſolidam, cibo & potu. Intemperiem vero corrigimus oppoſita intēperie, tanta quidē, quantus eſt exceſſus, vt prius oſtendimus: calidam quidem, frigidis: frigidam, calidis: humidam, ſiccis: & ſiccam: humidis. Temperiē vero ſimilibus tuemur: calidam calidis, frigidā frigidis, humidam humidis, ſiccam ſiccis, & temperatam temperatis. Tantum porrò refrigerare, vel calfacere, vel exiccare, vel humectare oportet, quantum totius naturæ mediocritatem temperamentum exceſſit. Itaq; ſi inflammatio glanduloſam partem obſederit, parum admodum exiccanda erit: ſi carnoſam, parum quidem, ſed magis quàm glanduloſa: deinde venoſa & arterioſa: neruoſa vero & membranoſa, amplius: muſculoſa, inter carnoſam & neruoſam. Cartilaginoſa vero magis, oſſea autem maxime exiccanda eſt.

CONFORMATIONES vero ad hunc modum: Partes quædā intra ſe, quædam

dam extra, quædam autem vtraq;, quædam neutra parte habent ſpatia: vt ex ſimplicibus arteriæ, venæ, & nerui: illæ in artubus quidem, intra ſe: in peritonæo vero, vtraque parte. Nerui autem in artubus, neutra: in peritonæo vero, altera parte. Ferè autem viſcera omnia tam intra ſe quàm extra lata ſpatia obtinent. Ad hæc caro ipſa, pulmonis quidem rara: contrà verò renum, denſiſſima eſt: poſt hanc, iecoris. Lienis verò ſubſtantia tanto denſior eſt quàm pulmonis, quanto quàm iecoris eſt rarior. Itaque in omnibus his quæcunq; neutra ex parte caua habent, quæ fluxionem ſuperuacuam excipiant, fortiter ſunt ſiccandæ, tametſi natura admodum ſiccæ non ſunt, cuiuſmodi ſunt nerui, & in artubus potiſsimum. Quæ vero tam extrà quàm intrà nonnihil inflammationis relaxare poſſunt, vehementer exiccantibus non egent, præſertim ſi fungoſa earum caro ſit, qualis eſt pulmo.

Ad rectam partis curationem indicatio ab eius formatione ſumitur. alia enim aliud medicamentum eſſe adhibendum oſtendit. Nam cum partes aliæ intra ſe, aliæ extra, aliæ vtraq;, aliæ verò neutra parte habeant ſpatia: præterea cum quædam raræ ſint, quædam verò denſæ, fit, vt nec eadem medicamenti vehementia, nec modus idem

idem omnibus partibus adhiberi poſsit. Nā quæ tam intra ſe quam extra, conceptacula habent, quæ fluxionem ſuperuacaneam excipere queant (quarum præcipue ſubſtantia laxa, raraq́; ſit) vehementer exiccantibus non egent, vt pulmo: qui & intra ſe latas arterias habet, & extra ſe pectoris capacitatem. Quæ vero neutra parte fluxionem excipere poſſunt, & denſæ preſſaq́; ſunt, hæ valenter ſunt exiccandæ, vt nerui in peritonæo. Nam vbi valenter impacta fluxio eſt, nec ſunt ſpatia, in quæ per meatus eius pars mittatur, vehementer exiccari eiuſmodi partes inflammatione obſeſſæ debent: aliæ contrà, minus valenter: Præterea quæ raræ ſunt, facile: quæ verò denſæ, ægrè foras humorem fundunt. Vbi igitur coierint partis raritas & vtraque parte ſpatia, quæ excipere humorem poſsint, leuiter exiccantibus eſt vtendum. Vbi verò neutra parte ſunt ſpatia, & partis ſubſtantia dura denſaq́; eſt, vehementer exiccantibus opus eſt. Quòd ſi alterum tantum adeſt, mediocriter eſt exiccandum.

NEQVE verò prætermittenda eſt ea, quæ à partis poſitu ſumitur indicatio: vtpote, quæ maxime doceat, per quæ, & quo modo fieri debeat vacuatio. Influentium igitur adhuc humorum retractio, quam ἀντίσπασιν Hippocrates vocat, obſidentium verò iam locum, deriuatio eſt remedium.

Vtrun

Vtrunq; enim vacuationis genus per communes venas fieri iubet. Ex vtero, verbi gratia, retrahes, ſi cubiti venam ſecueris, aut ſub mammis cucurbitulas admoueris, aut manus calfeceris, fricueris, ac ligaueris. Deriuabis autem, ſi quæ in poplite ſunt, aut malleolis, venas diuiſeris, cucurbitulas femori admoueris, crura calfeceris, fricueris, & ligaueris. Atque ſi dextra vteri pars laboret, ſanguis ex dextra manu & crure ducendus eſt. Sin læua, ex membris illi è directo reſpondentibus. Quod enim κατ' ἴξιν Hippocrates vocat, hoc ipſum eſt ſecũdum æqualitatem. Secare autem internas venas Hippocratis etiam eſt, quòd hæ & viciniores ſunt, & è directo magis reſpondent affectis particulis. Etenim ſi affecto liene ducere ſanguinem velis, manus ſiniſtræ: ſin iecore, dextræ vena interna eodem modo ſecanda eſt. Si verò aliqua ex ſuperioribus partibus inflammatione tentata ſit, vt in angina & ophthalmia & alia, in quacunque capitis parte extiterit, externas, & quæ è directo reſpondent, venas ſecabis. membris verò ipſis affectis, per coniuges venas vacuabis, ſiue retrahere ſiue deriuare velis, niſi inueteratum malum ſit. Nam tunc à patiente particula ſanguinem duces. Itaque in angina venæ ſub

lingua incidendæ ſunt, vbi corpus vniuerſum vacuauerimus, & inueteratus fuerit affectus. Ad hunc modum & lieni & iecori cucurbitulas admouemus. Eadem ratione aliam quancunque partem affectam ſcarificabis, cum humorum fluxio reſtiterit: alioquin enim hos magis iritaueris, & malum geminaueris. Sed cum iam vniuerſum ab humore ſuperuacuo corpus liberum eſt, neque iam aliquid influit, ſed ex vetere defluxione impacta loco affecto portio aliqua eſt. Quòd verò in gibbis iecoris, per vrinas: ſimis vero partibus, per alui excrementa ducere oporteat, viſceris ipſius ſitus indicat. Quodque thoracem ac pulmonem tuſsi repurgare conueniat, ventremq; ac ſtomachum vomitu, interanea alui deiectione: quemadmodum lienem quoque & renes per vrinas, vterum per menſes, cerebrum verò ac eius membranas per palatum, gurgulionem, nares, & aures, ex eorum ſedibus palàm eſt.

Partis ſitus oſtendit, per quæ loca, & quo vacuationis genere, vacuare expediat. Cum enim multa ſint vacuandi genera, variaq; morbi ſpecies, nec omnia omnibus conferant, videndum quo vacuationis modo ſinguli morbi, ſi modo eam efflagitent, vacuari debeant. Quòd fiet cognita tum morborum, tum vacuationis for-

marum natura. Vacuatio enim quædam ſimpliciter materiam educit, quædam retrahit, quædam vero deriuat, quædam deriuat ſimul & retrahit. Ad eundem modum morbi, quidam ſolam vacuationem deſiderant, alij vero retractionem, nonnulli ſimul vacuationẽ, deriuationem, & retractionem, vt in ſequentibus dicetur. Quibus vero in his vtimur, præſidia hæc ſunt: Venæ ſectio, cucurbitulæ, hirudines, vincula, calida medicamenta appoſita, frictiones, & purgationes. quorum alia magis, alia minus vacuant, deriuant, retrahunt: rurſus alia potentius & celerius: alia contrà, impotentius & tardius. Quemadmodum alia cum maiore, alia cum minore commodo vel incommodo. Nam ſectio venæ citra loci affecti repletionem, dolorem, calorem, aut aliam inſignem læſionem deriuat, retrahit, vacuatq; primum quidem inciſam particulam, deinde vicinam, poſtea vero diſtentiores, proindeq; infeſtantẽ materiam minuit. naturam hæc exonerat, vires roborat, dolores mitigat, calorem extinguit: quare internis eſt inflammationibus quàm purgatio, commodior, vt mox docebimus. Purgatio ſimiliter vacuat, deriuat ac reuocat humorem, ſed calfaciendo, trahendo, locum affectum irritando, ac implendo, febrem augendo. Ideo minus in internis inflammationibus quàm ſanguinis miſsio, valet. Cucurbitulæ potenter materiam attrahunt, celeriter ac

vehementer. Igitur vbi magis retrahere aut deriuare, quàm vacuare oportet, vtiles ſunt: Contrà, vbi magis vacuare quàm retrahere aut deriuare, ex vſu ſunt ſcarificationes ac hirudines, blande enim vacuant. nec è longinquo, nec cum impetu trahunt. Vincula autem attrahunt vehementer vel leniter, pro conſtrictionis modo. Cæterum nihil aut parum vacuant. Frictiones verò foras euocant ac digerunt, magis minuſq́; pro ſua multitudine ac vehementia. Quemadmodum pro caliditatis ratione, impoſita calida medicamenta. Igitur ſimplex vacuatio, quæ fit inciſa parte affecta, inueteratis inflammationibus confert, in quibus remiſſus dolor eſt; & fluxio reſtitit. Retractio verò, vbi humor adhuc in fluxu eſt: at vbi locum iam obſidet, deriuatio. Ad eundem modum, vbi pars fluit, pars iam locum obſidet, vtroq; remedio, nempe retractione & deriuatione eſt opus. Eſt autē deriuatio, vacuatio quædam ad latus. Fitq; ad vicina ſemper: retractio vero, ſemper ad contraria: ſed non ſemper ad diſtantiſſima. Hæc enim fluentē humorem retrahit ea loca verſus, à quibus antè fluebat, excretricisq́; facultatis impetum in contrarium conuertit, & attractricis impedit tractum. Contraria autem ſunt extrema extremis, extrema medijs, & media medijs. Igitur motus contrarij ſunt non ſolum à ſumme contrarijs ad ſumme contraria, ſed ſumme contraria verſus,

vt di

vt dixi, etiam ſi ad ea non perueniatur. Quare retractio non ſemper ad diſtantiſsima, ſed & ad propinqua fit, pro defluxionis differentijs, laborantium partium poſitu, & affectus magnitudine. Fluxionis differẽtiæ ex ſua celeritate & tarditate, magnitudine & paruitate deſumuntur. Nam celeris & ingens humorum fluxio, præceps remedium efflagitat, quod per humorum reuocationem in propinquam partem ſuggeritur. Parua verò ac tarda longiorem curationis moram ſine periculo ſuſtinet. Sumuntur item differentiæ fluxionis ex venarum, per quas hæc fit, genere, & partis affectæ poſitu. Fluit enim humor partim per venam, quæ partem affectam peculiariter alit, partim per communem toti corpori. Vt in pleuritide, gratia exempli, fluxio partim fit per venã quæ alit coſtas, partim per magnam venam ſurſum ad iugulum aſcendẽtem. atq; ex his fluxionis differentijs ſumitur ſecandæ venæ locus, & vacuationis differentia: Nam qui per venam coſtas alentem fluit humor, neceſſario reuocari: qui vero per magnam ac communem, non reuocari neceſſario, ſed deriuari, non per diſtantia, ſed propinqua deſyderat, quẽadmodũ & morbi magnitudo, vt quæ præceps requirit auxilium, nimirum vacuationem per venæ ſectionem, non quæ in diſtantiſsima parte fit, ſed quæ in propinqua. Diſtãtiſsima enim totam quidem humorum multitudinem in ſe con-

uertit, ſed imbecillius ac tardius tum ab affecto loco & eius vicinis partibus, tum ab ampla & communi vena reuocat, deriuat, ac vacuat, concitatæq; excretricis virtutis impetum impotenter cohibet. Quare ſi vehemens ſit fluxio, cuiuſmodi eſt in propoſito affectu, vix eam cohibere poterit, nec ab affecto loco vitioſum humorem trahere, niſi magna admodum & vehemens ſit vacuatio: & quam citra periculum vitæ æger ſuſtinere non poßit. Relicto igitur in affecto loco vitioſo humore, neceſſario calor, dolor, & diſtenſio remanebũt: proinde fluxio non ſolũ perſeuerabit, ſed & augebitur: vacuato vero benigniore ſanguine & inutili relicto, vires collabuntur. Quòd ſi vitioſa materia aliò transferatur, reliquum ſanguinem corrũpet: & ſi iterum in propinquiore parte vena ſecetur, ſanguis improbus non vacuatur, ſed ad inflammationem retrahitur. vt in vteri inflammatione, ſi primum ex cubiti vena ſanguinem detrahas, deinde ex vena poplitis, ob loci diſtantiam, benignum ſanguinẽ vacuabis: in cuius locum vitioſus ſuccedet. deinde inciſa poplitis vena vel malleoli, ſanguis improbus qui in benigni locum ſucceſſerat in priore venæ ſectione, in affectum locum reuocabitur, nec vacuabitur, niſi admodum copioſa ſit vacuatio, & quam laborans ferre nequeat. Cum vero in propinqua venam ſecamus, nullo incommodo reuocamus, ac multitudinem nocentis ſanguinis

guinis vacuamus valide ac celeriter (quod in internis inflammationibus facere expedit, vt mox docebimus) probi verò exiguam portionem. quare dolorem, calorem, diſtenſionem, & fluxionem auferimus, viréſque conſeruamus, aut non multum demolimur. Igitur eiuſmodi retractio ad propinqua neceſſario fieri debet, vbi excretrix virtus cõcitata eſt, magnus morbus ac præceps, humorq́; cum graui periculo in partem affectam decumbit, vt in internis inflammationibus ferè fit. Ex quo perſpicuum eſt eandem retractionem ad propinqua fieri debere, etiã in humorum plenitudine, vt poſt dicetur: quæ ſi ſemel vacuari non poßit, in duo partiri debebit, tantiſper intermittendo, dum vitioſus ſanguis, qui priore venæ ſectione vacuari ob multitudinem non potuit, remigrarit in venas communes, quod vel eodem, vel poſtero die fit. Eadem ratione ſanguinis mißio in duo diſtribuenda eſt, vbi ſemel totus vacuari, aut per virium imbecillitatem, aut ægrotantis timorem, aut aliam occaſionem non poteſt. Ad hæc tam retractio quàm deriuatio in eiuſmodi inflãmationibus fieri debet per amplam venam, quæ cum vena partem affectam alente ſocietatem habeat, eíque è directo reſpondeat: hoc eſt, vt Hippocrates docet, κατ' ἴξιν, id eſt ſecundũ æqualitatem, & è directo procedendo ſine vllo interuallo: vt perpetua & continua attractio fiat per continuorum filorum longi-

tudinem. *Venæ enim duplici ordine texuntur: orbiculari ſiue tranſuerſo ad expulſionem, oblongo vero ad attractionem: vt Galenus docet. Contrariæ igitur poſitione partes ſunt, quæ ſecundũ recta fila diſtant, connectunturq́; continuo ac perpetuo oblongi ſtaminis ordine. In quo genere ſumme contraria ſunt, quæ maxime diſtant: media quæ medio modo. Et in eadem diſtantia maior eſt contrarietas, quo filorum rectitudo ac cõtinuitas maior. Hæc autem rectitudo inuenitur in venarum & arteriarum ſtaminibus, habitudineq́; totius corporis: cuiuſmodi eſt dextri ad dextrum, ſiniſtri ad ſiniſtrum, & reliquarum poſitionum differentiarum. Per hæc fila fit attractio, vt dictum eſt. Inciſa igitur vena humorem attrahit, vacuatq́; facto emiſſario, quem ob vulnus continere non poteſt, ſed amplectẽdo exprimit. Itaq́; exhauſta parte propinqua, vis attractrix ob indigentiam excitata, à diſtantioribus per continuitatem velut exugit. atque hæ venæ vel multitudine, vel vitio humorum grauatæ nõ ſolum tractui cedunt, ſed & ſua vi expultrice quod grauat, pellunt, donec indigentiam patiantur. Nam inanitæ tractui reſiſtunt, non minore vi ſanguinem retinẽtes quam à vulnerata parte trahitur: vt præceptor meus Petrus Briſſous vir vt ingenio diuino, ſic doctrina incredibili, in eo opere quod de ſanguinis miſsione conſcripſit, luculentiſsime docuit. Cum igitur luctando ſuperior*

perior

perior euadit contentrix facultas, fluxio ſponte etiam aperta adhuc vena ſupprimitur, ſcilicet natura ipſum tanquam ſibi familiarem vel attrahente vel retinēte. Ex his liquet internam venam in cubito ſectam ex oppoſito latere vel nullo modo vel parum admodum retrahere, niſi vacuatio admodum excedat. Cum enim attractio per recta fila & continua, vt diximus, fiat, vena autē caua, quæ ad iugulum fertur, tum earū quæ vtriuſq; lateris coſtas alunt, tum earum quæ ſub brachia feruntur (internas vocāt) magnam continuitatis portionem interrumpat (naſcuntur enim vtraq; à cauſa priuſquam in iugularias ſcindatur, priores quidem quæ coſtas alunt: poſteriores vero quas internas vocari diximus à dextris ad ſiniſtras) parua erit ſtaminum rectitudo, & tractus minor: proinde nihil aut admodum exigua portio humoris ex affecto loco ad vulnus, quod in oppoſiti brachij vena factum eſt, transferetur. Secus autem res habet in crurum venis: nihil enim eſt quod harum continuitatem impediat. Ideo ab vna ad alterā tractus fieri poteſt: quod & Galenus decimotertio Methodi medendi innuere videtur. Altero, inquit, crurum male habente reliquum eſt ſcarificandum. Quòd ſi Cornelium Celſum mihi obijcias, qui libri ſecundi capite decimo ſcribit ex altero brachio ſanguinem mittēdum eſſe, ſi quod in humero vitium eſt: ego eundem tibi obijciam

eodem loco ita ſcribentem: *Mitti vero ſanguis debet, ſi totius corporis cauſa fit, ex brachio: ſi partis alicuius, ex ea ipſa parte, aut certe quã proxima: quia non vbiq; mitti poteſt, ſed in temporibus, in brachijs, iuxta talos.* Vide vtri magis, tibine an mihi ſuffragetur Celſus: vterq; certe locus, & quẽ mihi obijcis, & quẽ tibi obijcio, ad idem conſentiunt: nempe vt vena ſecetur ex parte quãmaxime vicina fieri commode poterit. Ex eodẽ quidẽ brachio detraheret, niſi id ob vicinitatẽ particeps affectionis eſſet. Quare non ſine graui malo ſecari poterit. Ipſam enim fluxionem iritaſſet, affectumq; auxiſſet. ideo ex oppoſiti brachij humeraria tanquã è propiore loco qui incidi commode potuit, ſanguinẽ emittit. Habet enim hæc ſocietatẽ cũ oppoſito humero maiorem quàm aliæ venæ, vt quæ à caua poſtquã in iugularias fiſſa eſt, propagetur, vt Galenus docet. Reuocãt ad longinqua cucurbitulæ, vincula, ſcarificationes, frictiones, medicamenta calida appoſita: ad propinqua vero, hirudines: ad vtraq; venæ ſectio, & purgatio. His ita diſtinctis, videndũ eſt quibus morbis vacuatio, quibus deriuatio, & quibus retractio ſimplex conferat. Influentium, inquit, Galenus adhuc humorum retractio, quam antiſpaſin Hippocrates vocat: obſidentium vero iam locum, deriuatio eſt remedium. ſiquidem contrariorum contraria ſunt remedia. Quod enim incommode ac præter naturam fluit, morbumq;

bumq́; neceſſario allaturum eſt, per eamq́; partem in quam fluit, probe vacuari non poteſt, per eandem viam reuocari debet. Quòd ſi iam humor locum occupet, quem diſtendat ac accendat, in eoq́; dolorem excitet, neq; per eum locum vacuari poſsit propter nouæ fluxionis periculũ, ad vicinum locum minime condoleſcentem deriuare oportebit. Ex vtero, verbi gratia, reuocabis, ſi cubiti venam ſecueris, aut ſub mammis cucurbitulas admoueris, manus calfeceris, fricueris, ac ligaueris: quod fieri debet, vbi tantum humor reuocandus eſt, non etiam ex loco affecto vacuandus, vt in menſium immodica profuſione. In quo affectu ab vtero vacuare non oportet, cum hunc locum humor non obſideat, ſed defluat: quem ſolum ad contraria reuocare oportet. quod commode fit ſecta cubiti vena interna, vt quæ reſpondeat vtero. Quòd ſi venæ ſectionẽ ægrotantis vires non admittant, aut quidpiam aliud hanc impediat, admouendæ mammis cucurbitulæ ſunt, aut manus calfaciendæ, fricandæ, ac ligandæ. Reuocare enim hæc præſidia poſſunt, ſed non vacuare. Deriuabis autem, ſi quæ in poplite ſunt, venas diuiſeris, cucurbitulas femori admoueris, crura calfeceris, fricueris, & ligaueris. Cũ vterus inflammatione laborat, vacuationẽ deſyderat. Quã Galenus ſæpe deriuationem, aliquando retractionem appellat in libro de curandi ratione, quæ per ſanguinis miſ-

ſionem fit, quam ſolam in principio etiā inflammationis vteri fieri præcipit: illa enim & reuocat & deriuat. Oſtendimus enim duplicem eſſe fluxionem de venarum genere ſumptam: alterā quæ per venam vterum alentem fit: alterā quæ per communem. prioris eſt retractio: poſterioris deriuatio. quibus non ſolum in hoc affectu, ſed in alijs internis inflammationibus eſt opus. Nam cum in ſummouendis, quæ præter naturam ſunt, triplex ſcopus habeatur: vnus à cauſis, alter ab eo quod rationem habet eius ſine quo non, tertius ab eo quod velut accelerantium ac vrgentium habet rationē. Quòd vrget, primum ſummouendum eſt, vt docet Galenus. vbi vero nihil vrget, ordo à cauſis eſt petendus. Vrgēt autem alia alias: vt in inflāmatione, verbi gratia, magnitudo: cuius cauſa eſt humor quantitate, vel qualitate, vel vtraq; peccās, qui commode auferri non poteſt, niſi mitigato dolore. habet enim is rationē eius ſine quo non: nam doloris vehementia tractū ſanguinis ex inflammata parte, eiusq́ in venas regreſſum impedit. Ideo mitigari is prius debet, quàm vena ſecari, quod Briſſous fieri docet fomentis anodynis nunc humidis, nunc ſiccis: ſed id quidem prudenter. Nam cum illa laborantem partem laxant, fluxio maior ilico locum repetit, dolor inde acrior ſuſcitatur. Itaque poſt adhibita anodyna celerrime reuocandus humor eſt, aut deriuandus. Siue igitur id quod

vrget

vrget ſpectes, ſiue cauſam morbum generantẽ, ſiue id quod rationem habet eius, ſine quo non, celerrime reuocare ac vacuare neceſſe eſt. quod apte fiet, ſecta poplitis vena in vteri inflammatione. Nam humor non ſolum reuocabitur, ſed & vacuabitur: proindeq; morbi magnitudo minuetur, & dolor mitigabitur. Vbi vero miſſionem ſanguinis ægrotans non ſuſtineret, ad alia præſidia confugiendum eſt: nempe cucurbitulas, & alia prius commemorata. Hac ratione, ſi dextra vteri pars laboret, ſanguis ex dextra manu & crure ducendus eſt. Si læua, ex membris illi è directo reſpondentibus, quod enim κατ' ἴξιν Hippocrates vocat, id ipſum eſt ſecũdum æqualitatem. Secare autem huiuſmodi venas oportet, quòd & viciniores ſint, & è directo magis reſpondeant affectis particulis. Cum enim tantum reuocare oportet, ex affecta vteri dextra parte (velut cum per eam immodice fluit ſanguis, ſiue propter eius imbecillitatem, ſiue dolorem, aut calorem humorem accerſentem, ſiue natura, multitudine, aut qualitate, aut vtraq; degrauata illuc impetum faciente) ſecanda eſt dextri cubiti vena interna, vt quæ aliis eiuſdẽ cubiti vicinior ſit, & magis è directo reſpondeat. Quòd ſi inflammatio eam partem obſideat, ſanguis ex dextro crure detrahendus eſt, ſi vero ſiniſtram, ex membris illi è directo reſpondentibus: hoc eſt, ſecundum rectitudinem, vt diximus,

quod

quod & in aliarum partium inflammationibus faciendum eſt. Etenim ſi affecto liene ducere ſanguinem velis, manus ſiniſtræ: ſi iecoris, dextra vena interna eodem modo ſecanda eſt. Nam ſi aliam vel eiuſdem partis venam incideres, vt, verbi gratia, inflammato liene venam circa mediũ digitum manus ſiniſtræ, minus, quàm cubiti venam ſecando proficeres, vt autor eſt Galenus libro de Curandi ratione per ſanguinis miſsionẽ: quoniam magis ab affecta particula diſtat, & minus è directo reſpondet, proinde minus vacuat quàm cubiti interna vena. Eadem ratione in pleuritide dextra dextri cubiti interna vena, in ſiniſtra ſiniſtri ſecari debet: non autem ex oppoſito brachio, iuxta Galeni ſententiam libro de curãdi ratione per ſanguinis miſsionem. Pleuriticis, inquit, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit ſanguinis miſsio, clariſsimam ſæpe vtilitatem attulit. Quæ vero ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certe poſt temporis interuallum. At cum pleuritis nunc ſuperiores, nunc inferiores coſtas occupet, videndum an vtriq; ex vſu eſſe poſsit ſanguinis ex interna cubiti vena miſsio. Quoniam autem affectus hic acutus eſt, præceps remedium efflagitat, nõ quodlibet; ſed quod citra vllam læſionem celeriter opem ferre poſsit, quod apte ſanguinis miſsione fiet, ſiue indicatione ſumpta à morbi magnitudine, ſiue eius cauſa, ſiue ſymptomate. Oſtenſum

autem

autem eſt hanc tutiſsimum remediũ eſſe, quodq́; citra offenſionem vllam adhiberi poßit. materiam enim morbi minuit, & fluentem ſiſtit citra calfactionem, dolorem, aut repletionem loci dolẽtis, præſertim ea quæ in propinquo fit. Hæc enim nullo incommodo celeriter reuocat ac vacuat vitioſi ſanguinis multitudinem, proinde morbum minuit, dolorem mitigat, & fluxionem ſiſtit. Reuocat quidem ex affecto loco per venam quæ alit coſtas, ex eodem loco vitioſum haurit ſuccum, ex ampla autem & cõmuni vena multitudinem, quæ excretricem iritat, deriuat ac vacuat per vulneratum locum, rectis, vt dictum eſt, filis trahentibus ac velut exugentibus. Igitur ſecta in cubito dextro interna vena dextræ pleuritidi, præſertim quæ ſuperiores coſtas occupat, maxime opitulatur: & ſiniſtra ſiniſtræ: non autem dextra ſiniſtræ, aut ſiniſtra dextræ: aut, quemadmodũ Auicenna putat, malleoli vena interna, quæ ab eo ſaphæna dicitur, lõgitudine oppoſita. Poſt hanc interna cubiti vena, quam baſilicam vocat, latitudine oppoſita: & poſt ipſam media quam nigram appellat, oppoſita etiam in latitudine: quæ ſi non appareat, externa vena, id eſt cephalica, incidenda eſt, etiã ſi paruum adferat adiumentum ac tardum. deinde poſt aliquot dies ex latere conueniente in latitudine. Hæc ille libro tertio, fen decima, tractatu quinto, capite primo, de cura communi apo-

ſtemat

ſtematum partium pectoris & pulmonis. Quod quàm ſit abſurdum, nemo non videt. Quis enim tam validis eſt viribus, vt toties ſanguinem ex ſe emitti ſuſtineat? Feſtina, inquit Auicenna, ex ſaphæna oppoſita in longitudine. Sed quæſo, quid ex ea cõmodi ſentiet æger? Nullum me hercle, ſed maximum incõmodũ. Sanguis enim probus ex hac ſolum euacuatur, & improbus in affecto loco relinquitur, aut in communem venam transfertur, in qua, qui de bono reliquus eſt, vitiat ac corrumpit. Eodem aut certe maiore incommodo ex oppoſiti brachij venis bis emittitur. Cum enim tractus humorum per recta ſtamina fiat, vt diximus, maximè vacuabitur ſanguis, qui in ſectæ venæ parte erat. Remanebit autem vitioſus, quem vel in affecto loco relictum, vel in communem venam tranſlatum eſſe dicebamus, aut in oppoſitum latus transferetur, nouamq; illic pariet pleuritidem. cum enim is ſua mala qualitate naturam degrauet, neceſſario in partem imbecilliorem detrudetur, ſi quidem excretrix virtus valida ſit. Sin ibi relinquitur, febrem accendet. Sed eſto: nec transferatur, nec nouam pariat pleuritidem, quo modo reſolutæ tanto ſanguine exhauſto vires vltimam (quæ ſola ex omnibus commoda erat) ſuſtinere poterunt? Igitur Auicenna homines iugulare, non curare docet. Quòd autem ſecta in dextro cubito interna vena ex dextra pleuritide reuocet, & ex ſini

ex ſiniſtra in ſiniſtro, monſtrandum eſt ex anatome ſecundum Galeni ſententiam ad hunc modum in commentario ſecũdo de Ratione victus in morbis acutis ita ſcribentis: Vena caua ex iecoris gibbo ſurſum ad dextrã cordis aurem ſanguinem ferens partibus quidem interiacentibus exiguum ipſius diſtribuit: ſed cordi ipſi plurimum elargitur. Deinde ab eo progreſſa, ad collum recto feſtinat tramite: atq; in duas rectas ſcinditur in thoracis parte venas, eásq; inſignes, quas iugulares vocant. Propagantur autem ab ea ipſa priuſquam ad cor ipſum pertingat, inſignes quidem venæ ad ſeptum trãſuerſum, paruæ autem ad inferiorem thoracis partem, quæ octo coſtis conſtat, contendentes. Pars autem hæc ab vna quæ coniugio caret, vena nutritur: quæ in quibuſdam animantibus ſupra cor naſcitur, in cæteris vero ex ea emergit parte, qua iam cordis aurem vena caua tangit. Hinc ſiquidem emergens humilius depreſsiusq; per cor defertur, atq; in ſpinam contorquetur. Vena igitur quæ ad inferiorem thoracis partem repit, vtrinq; coſtis octo ad ſeptum vſque tranſuerſum diſtribuitur. Cæteræ autem ſublimiores thoracis coſtæ quatuor ab aliarum venarum nutriuntur cõiugio, quod à vena caua propagatur: priuſquam ea in iugulares ſcindatur. Ab his igitur duabus venis, deinceps ſunt quæ ad manus per axillas pertingunt. Ex his verbis liquet in pleuritide qua-

tuor

tuor ſuperiorum coſtarum, ſectam internam cubiti eiuſdem lateris venam reuocare ab affecto loco vſq; ad eam venæ cauæ partem, vnde vena, quæ quatuor ſuperiores coſtas alit, originem ducit: ſimul & vacuare, qui iam latus obſederat, humorem. A` caua autem vena vſq; ad venam internam deriuatur vacuaturq́;, qui facultatem illius excretricem iritabat. Quare commode interna cubiti vena ſecatur in pleuritide quatuor ſuperiorum coſtarum: quòd, vt Galenus eodem commentario ait, ſanguinem ab affecta parte, & magis & celerius, tum reuocare, tum vacuare poſſit. Neq; vero timendum eſt, ne ſanguinis miſsio, quæ per propinqua fit, plus noceat attrahendo, & locum affectum implendo, quàm iuuet vacuando. non enim aliter nocere poteſt, cum neq; calfaciat, neq; continuitatem ſoluat, neq; dolorem inferat, vt prius dictum eſt. ſecta enim ea vena ſanguis neq; ad locum inflammatum pellitur, neq; ab eo attrahitur: ſed à vulnerata venæ parte trahitur, & à degrauatis multitudine vel qualitate vel vtraq; partibus, quæ noxium humorem primum per venam coſtas alentem, dein communem locum verſus vulneratum protrudunt, impeditur: illæ enim quò magis vacuãtur, eò robuſtiores fiunt, proindéq; potentius exprimunt materiam degrauantem: primum in venam coſtas alentem, deinde in communem, vt dictum eſt. Rurſus vulnus ab vtraq; vena ſangui-

nem trahit per filorum continuitatem. Cum igitur ex vtraq; vena ſanguis trahitur, & per recta fila tractum ſequitur, perq; alentem coſtas venam locus affectus noxium humorẽ in venam communẽ plagam verſus potẽter fundit, in affectam partem humor, qui in ſectionis locum trahitur, ex caua vena neq; pelletur, neq; trahetur, quare nec implebitur. Nunc vero diſquirendum eſt quod ab initio propoſueramus: an in pleuritide octo inferiorum coſtarum, commode eadem vena ſecari poßit. Scribit enim Hippocrates libro de Victus ratione in morbis acutis ſecundo: Si eas quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt, partes dolor infeſtet, nullumq; ad clauiculam ſignum fecerit, ventrem vel nigro veratro vel peplio mollire oportet. Galenus hunc locũ interpretans longe tutius ſecandam eſſe venam putat: etiam ſi minus auxilium quàm per purgationem ſequatur. Nullũ enim, vt inquit, ex ſanguinis mißione periculum impendet. Purgatio vero citra graue malum non fit: potißimum vbi laborantis natura perſpecta non eſt. Nam alij ægrè purgantur, alij facilè. Solum igitur exhibendum eſſe putat Galenus, vbi febris nõ vrgeat, & ægri natura cognita ſit: idq; tantum, quantum in pluri mis mediocriter vacuari ſis expertus. Ex his cõſtat ſanguinis mißionem in inferiorũ coſtarum pleuritide vtilem eſſe, ſed minus quàm in ſuperiorum. Si vero aliqua ex ſuperioribus partibus

inflammatione tentata ſit, vt angina, & ophthalmia, & alia in quacunq; capitis parte, externas & quæ è directo reſpondent venas ſecabis. Membris ipſis vero affectis per coniuges venas ſiue reuocare ſiue deriuare velis. Paulo antè dixerat in ſuperiorum partium affectibus per inferiora ſanguinem eſſe mittendum. Quomodo igitur nunc in angina, ophthalmia & aliarum capitis partium inflammationibus externa cubiti vena, quam humerariam vocant, ſecta non ſolum deriuandum humorem, ſed & retrahendum eſſe putat? Hic enim ſcrupus multos male habet, præſertim ex eorum ſecta, qui ex oppoſito latere in internis inflammationibus mittendum eſſe ſanguinem volunt. Sed ſi quæ antea declarata ſunt, penitus inſpiciant, optima ratione Galenum in anginis, ophthalmiis, phrenitide, & aliarum capitis partium inflammationibus, humerariam è directo affectui reſpondentem ſecandam eſſe recte monuiſſe deprahendent. Vbi enim inflammatio vrget, ad propinqua, vbi verò non vrget, ad longinqua reuocare oportet. Itaq; in angina, ophthalmia, phrenitide, & aliis partium capitis inflammationibus, quæ celere præcepsq; remedium efflagitant, ex humeraria vena è directo reſpondente mittendus ſanguis eſt. Quòd ſi inflammatum brachium ſit, poplitis vena quæ è directo illi reſpondet, aperienda eſt. quoniã eiuſmodi partis inflammatio nullum

perie

periculum minatur. Vbi vero inueteratum malum eſt, à patiente particula ſanguis demitur. Itaq; in angina, vena ſub lingua incidenda eſt. Solum enim vacuationem deſiderat, non deriuationem, aut retractionem, modo abſit dolor, & fluxio reſtiterit, purgatumq; ſit corpus vniuerſum. Ad eundem modum & lieni & iecori cucurbitulas admouemus. Nam cum nec poſſint nec debeant eiuſmodi viſcera incidi, cucurbitulis vtimur, quæ vim potẽter trahendi habẽt, vt diximus. Aliam vero quamcũq; partem affectam externam incidimus, vbi humorum fluxus reſtiterit, & corpus à ſuperuacuis humoribus liberum ſit: alioqui fluxũ iritaueris, & malum geminaueris. Retractio autem quæ purgationibus & aliis remediis, præſertim calidis, fit, longiorem requirit diſtantiam. Quod Galenus cum in aliis plerіſq;, tum in decimotertio Methodi medendi docet. Ad partes, inquit, quæ maxime longinquæ ſunt, ſemper auerſionem facies. Ibi enim de frictionibus, purgationibus, vrinam & menſes cientibus medicamentis loquitur; non de venæ ſectione. Deriuatio autem perpetuo ad propinqua fit, quocunq; remedio vtaris: vt quod ad palatum delabitur, ad nares transfertur, & quod in conuexis iecoris partibus eſt, per vrinas: in cauis per aluum deducere oportet: in reliquis ſimili modo.

SED & quòd partibus in ſuperficie

conſtitutis tale ſit adhibendum medicamentum, quale affectus efflagitat: quæ vero in alto corpore demerſæ latent, quæq; ex longo interuallo medicamenti virtutem experturæ ſunt, his non quale nunc eſt, ſed quale cum eò peruenerit, tum futurum eſt, ex ſitu partium dandum dicimus. Quocirca medicamenti, ſiue id foris adhiberi, ſiue deuorari, aut hauriri debeat, vires non præſentes, ſed quales dum ad affectum locum peruenerint, futuræ ſint, conſiderandæ ſunt. Igitur quæ in pulmonis inflammationibus pectori forinſecus imponũtur medicamenta, longe vehementiora & acriora natura quàm ſi ipſi viſceri admouerentur, eſſe debent. Eius enim quod per multa corporis membra intermedia tranſiens ad locum affectum peruenturum eſt, vires ſi quidem per initia eſſent imbecillæ, omnino fatiſcerent atque euaneſcerent. tantum igitur aduentitij roboris adiiciendum eſt, quantum tranſeundo amittunt, vt quod ſupereſt, æquale exiſtat ei quod tactu iuuat. Itaque externis pectoris inflammationibus abunde faciunt, quæ ſolum laxare poſſunt. internæ vero qualis eſt membranæ, quæ coſtas cingit, acriora deſiderant. Lienis vero & iecoris omniumq; peritonæi partium inflammationes eadẽ ratione curantur. Sępe enim

pe enim

pe enim cutis ab admotis medicamentis vlceratur,etſi viſceribus longe durior ſit, potentiusque reſiſtat. Quòd ſi ipſis viſceribus medicamenta,quibus aſsiduè egent, admoueri poſſent,eo mitiora eſſent imponenda, quo eorum natura facilius afficitur. Quæ vero & vorare & haurire medicamenta iubent curandis viſcerum affectibus idonea, longe acriora & vehementiora eſſe debent, quàm quæ affectæ partes efflagitant:exceptis his quæ ventri & ſtomacho conferunt. Sola enim hæc talia adhibentur,qualia morbus poſcit.reliqua vero omnia,acriora & valentiora viribus eſſe oportet : ac ea maxime quæ ad renum & pulmonum vitia adhibentur. Conſiderare itaque oportet, quot numero partes permeat medicamẽtum, quod ad pulmones fertur. Primum quidem per os tranſit : deinde fauces, & ſtomachum, poſtea ventriculum ipſum, & quædam ex gracilioribus inteſtinis, deinde ad meſenterij venas, pòſt ad iecoris partium ſimarum, ex quibus ad gibberarum venas peruenit: ex his vero ad cauam, poſt quam ad cor,tãdem ad pulmonem. Neque negare poſſumus, quin in ſingulis hiſce partibus humoribus quibuſdam id miſceatur, & mutationem quandam alterationemque naturæ viſceris familiarem recipiat. Quapropter

quod de eius virtute ſupereſt, minus omnino ac hebetius eſt, quàm vt læſam particulam iuuare poſsit. Quæ igitur à ſitu partis ſumitur indicatio, his modis curationem variat. Quatenus autem quæ à facultate ducitur, nunc exponemus.

A partis ſitu ſumitur indicatio, & ad tollendam intemperiem, & ad vitioſos qui partem obſident, ſuccos remouendos. Intemperies autem aut ſumma corporis occupat, aut intus deliteſcit. Quare non eadem vtriq; medicamenti vis adhibenda eſt. quæ enim in ſuperficie conſtitutæ partes intemperie laborant, medicamenta efflagitant, qualia affectus ipſe requirit. quæ verò in imo latent, his non qualia nunc ſunt medicamenta adhibenda ſunt, ſed quæ affectui pro futura ſint, dum ad eum peruenerint. Quod enim per longa interualla ad locum affectum peruenturum eſt, vires tranſeundo amittit. Ideo tanto augendum ipſius robur eſt, quantum permeando id amiſſurum conieceris, ſiue id foris admoueatur, ſiue intrò ſumatur. Ad eundem modum vitioſus ſuccus vacuatur aut è propinquiore loco, aut diſtantiore. Idque vel digeſtione reſolutionéque, vel attractione humorum. Cum igitur in ſuperficie hunc digerere oportet, vt in externis inflammationibus, & à propinquo trahendum, blandum

dum mitéque medicamentum, qualeq; affectus deſyderat, adhibendum eſt. Contrà cum qui digeri ſuccus poſtulat, locum diſtantem obſidet, aut à longinquo trahi debet, vehementibus medicamentis eſt opus. Igitur externis pectoris inflammationibus abunde faciunt, quæ laxare tantum poſſunt. Internæ vero, qualis eſt membranæ, quæ coſtas cingit, acriora deſyderant: lienis vero & iecoris, omniumq; peritonæi partium inflammationes, eadem ratione curantur. Sæpe enim in his curandis medicamenta admouentur, quæ cutem exulcerant, longe viſceribus duriorem, potentiúsque reſiſtentem. Quæ vero ad horum viſcerum curationem intrò ſumuntur, vehementiora eſſe debent, quàm quæ affectæ partes efflagitant, exceptis his quæ ventri & ſtomacho conferunt: qui, cum breuem viam per quam ea tranſeunt habeant, talia exigunt, qualia morbus expoſcit. Iecur vero & lien acriora, renes his adhuc vehementiora; pulmo autem omnium poſcit vehementiſsima. Conſyderare enim oportet, quot numero partes permeare debeat medicamentum, & pro ratione itineris, eius vim augere: vt eius quod ad pulmones fertur, primum quidem per os tranſit, deinde fauces & ſtomachũ, poſtea ventriculum ipſum, mox quædam ex gracilioribus inteſtinis, præterea meſenterij venas, poſt iecoris ſimarum partium, ex qui-

bus ad conuexarum venas, ex his vero ad cauam, poſt quam ad cor, tandem ad pulmones peruenit. Quoniam autem multæ partes ſunt, per quas medicamentum tranſit, antequam ad affectum locum perueniat, multumq; ex eius viribus reſoluitur: ideo vehementius eſſe debet, quàm affectus deſyderat, tanto quidem, quantum per itineris longitudinem ex eius viribus diminutum iri coniecerimus.

QVONIAM autem ex corporis partibus alias quidem aduentitiæ, alias vero cōgenitæ virtutes moderantur: atque harum ipſarum aliæ ſibi ſolis, aliæ aliis virtutum ſunt origo: & ex his quidem alię proprium, aliæ publicum habent officium: neceſſario curationis forma in vnaquaq; harum differentiarum mutanda eſt. Siquidem multa ex commemoratis remediis affectum quidem curant, cæterum natiuas partium virtutes offendunt, quarum noxa in vniuerſum corpus transfertur. quod bifariam fit: nimirum quatenus viſcus eſt virtutis origo, totius cor poris partibus communis: aut eius munus vniuerſo corpori vtile eſt. Iecur enim, cor, cerebrum, & teſtes, principia ſunt virtutum vniuerſo corpori commnnia. Venter autem & vterus, natiuas virtutes, & nulli alteri corporis parti communes habent. Cæterum vē

tris

tris munus toti corpori vtile eſt: vteri vero non item.

Partes, inquit Galenus in Arte parua, quædã principia ſunt virtutũ, quædã ab iis principiis originem ducunt, ipſisq́; ancillantur, quædam nec alias gubernant, nec ab aliis gubernantur: quædam autem inſitas vires habent, & ab aliis regũtur. In qua diuiſione nihil omnino meminit de partiũ publico priuatoq́; munere. Hoc vero in loco ita diuidit: Partes alias quidem aduentitiæ, alias vero congenitæ virtutes moderãtur &c. Rurſus hic nullam de his partibus, quæ nec alias gubernant, nec ab aliis gubernantur, mentionem facit. Igitur pro harum diuiſionum intellectu ſcire licet, virtutes quaſdam communes eſſe, quibus corpus noſtrum diſpenſatur: nempe animalem, vitalem, naturalem: harumq́; virtutum ſuam quamq́; habere originem, animalẽ quidem, cerebrum: vitalem, cor: & naturalem, iecur. Rurſus cerebro nerui dati ſunt, cordi arteriæ iecori venæ, quibus eiuſmodi vires cum corpore communicentur. Itaque omnes partes ſenſu & motu præditæ, ab animali facultate reguntur: quæ autem viuunt, à vitali: quæ vero nutriuntur & augentur, à naturali. Cũ igitur nõ omnes partes ſentiant & moueantur, non omnes ab animali reguntur: vt os, cartilago. Cum vero omnes viuant & nutriantur, omnes à vitali & naturali regũtur. Aliæ vero ſunt virtutes par

tibus peculiares, vt ſtomacho, ventri & inteſtinis conficiendi chyli, vtero concipiendi & efformandi fœtum, & aliis partibus eodem modo. Cum igitur Galenus in Parua arte ſcribit, partes quaſdam nec alias gubernare, nec ab aliis gubernari, non negat eas à naturali & vitali regi, quatenus viuunt & nutriuntur: ſed quã habent vim peculiarem, ex ſe quidem habere, nec cum aliis communicare intelligit. Quòd autem de publico priuatoq; partium munere illic non meminit, hoc ideo fecit, quoniam ad rem quam in Parua arte tractabat, hoc eſt, temperaturarum partium cognitionem, nihil conferebat. Nihil enim refert, priuatúmne an publicum ſit vẽtris munus, ad eius tẽperaturæ notas habendas. Ad eius vero curationem id neceſſario cognoſci debet. maiore enim diligentia pars, cuius munus vniuerſo corpori cõmune & neceſſariũ eſt, quàm cuius priuatum corporiq; minime neceſſariũ, curari debet, cuiuſmodi eſt ſtomachus. Simili modo & quæ origo eſt alicuius virtutum corpus diſpenſantium, vt cerebrum, cor, iecur, aliter curari debet quàm quæ vim ſuam aliis non diſtribuit. Igitur ſi iecur, verbi gratia, & ſtomachus inflammatione tententur, tam acria medicamẽta non ferunt, quàm crus eodem affectu laborans. Crus enim non ſolum relaxantia, ſed & digerentia admittit, iecur & ſtomachus nõ item, ſed quæ perpetuo robur ſeruent. Priora affe-

ctum

ctum quidem curant, ſed natiuas vires lædunt: quod ſine magno incommodo crus & aliæ id genus partes patiuntur, ſtomachus & iecur nō ferunt. quoniam contractam ex eiuſmodi medicamentis noxam cum aliis corporis partibus cōmunicant. Iecur quidem, quatenus origo eſt virtutis, qua vniuerſum corpus alitur: ſtomachus vero, quatenus corpori alimentum concoquit. Eadem ratione aliorum principiorum origines curari debent: nempe cor & cerebrum, quæ ad vitæ indiuidui tutelam cōdita ſunt: & teſtes quos ad ſpeciem conſeruandam natura conceſſit.

PLERVNQVE autem affectionis remedium, partis vires offendit: aliud quidem immodice relaxando robur ſoluit, proindeque & partis virtutem: aliud vero immodice refrigerando inſitum calorem extinguit. qui fortaſſe, vt quibuſdam tum medicis, tum Philoſophis celeberrimis viſum eſt, ſubſtantia eſt virtutum, aut certe primarium ac neceſſarium ipſarum inſtrumentum. Iam vero & alienæ quædam qualitates, vires diſſipare poſſunt. Nihil igitur horum curando prætermittendum eſt: ne forte imprudentes dicamus, morbus quidem curatus eſt, homo vero periit: quod accidere plurimis quotidie videmus, qui irrationalem experientiam colunt, methodicamque ſectam omnia ipſius

artis

artis bona peruertētem, quæ rationes quaſdam dogmaticas quidem, ſed multis erroribus plenas ſectatur.

Inſitum hunc calorem, non illum vaporoſum & aëreum, de quo ſuprà meminimus, ſed viriū ſubſtantiam, vel ipſarum primariū inſtrumentum, hoc eſt contemperamentum quatuor vel elementorum vel earum qualitatum Galenus vocat. Ex quo virium robur conſiſtit, ex robore autem actio proba editur. Quoniam autem variarum partium varia ſunt temperamēta, ideo & varij ſunt natiui in corpore calores. alius enim eſt ſolidarum partium, alius humorum, alius aliarum partium, vt fuſiſſime ſuperiori commentario docuimus. Vbi igitur in aliqua parte caloris ſubſtantia perit, virium robur ſolui neceſſe eſt. Perit autem ea, quia aut reſoluitur, aut extinguitur. Reſoluitur autem vel calidis ac digerentibus, vel exiccantibus & tanquam eam depaſcentibus. Extinguitur vero aut frigore, aut humiditate ſuffocante. atq; hæ ſunt alienæ qualitates quæ vires demoliuntur.

SVB indicatione autē quæ à viribus partium petitur, ſenſus hebes acutusque continetur. Nam quæ inſigniter ſentiunt, acria medicamenta non ferunt, quemadmodum nec humores. Si enim acer quidam humor os ventris occupet, in ſyncopen ægri ſæpe labuntur: quod ſi permodice afficiatur, an-

xietate

xietate & nauſea premuntur:aliquando infeſtum quidem humorem vomentes, aliquando verò fruſtra enitentes. quod in his potiſsimum affectibus accidit,quibus os vētris vitioſo humore imbuitur. Itidemq; cū in oculos eiuſmodi humor influit, maximum dolorem inuehit,vlceroſasque puſtulas curatuque difficiles excitat. Eadem ratione neq; oculi acrium medicamentorum contactum ob ſentiendi præſtantiam ſuſtinent,quemadmodum nec os ventris. Neq; verò quod degrauet,ſi foris imponas, eiuſmodi partes patiuntur: minusque ventre oculus, vtpote qui nonnunquam ab iis quæ illinuntur medicamentis grauatur. Partes verò quæ hebetioris ſunt ſenſus, tum grauia cataplaſmata, tum mordentia medicamenta ferunt. Siue igitur quis cum quatuor commemoratis indicationibus eam, quæ à ſentiendi facilitate ſumitur,quintam numerare velit, ſiue in ea compræhendere quæ à facultate ſumitur, nihil ad rectam curationem refert.

Siue quintam à ſenſus acumine & hebetudine ſumptam indicationem enumerare velis,ſiue ſub quarta contineri, nihil ad rectam curationem refert. Conſtat enim partem magno ſenſu præditam, neque ingentem molem, neq; vehementem

mentem acrimoniam medicamẽtorum, ſine grauiſsimo dolore, qui non modo augere, ſed & nouam defluxionem excitare ſolet; ferre non poſſe. Eadem ratione nec acres mordacesq́; humores. Nam ſi ſtomachus hos imbiberit, ægri in ſyncopen labuntur, niſi leuiter admodum afficiantur, ſolam enim tunc anxietatem nauſeamq́; pariũt, nonnunquam quidem cum vomendi inani appetitu, nonnunquam vero cum humoris reiectione. itaq; acutus ſenſus vehemens & graue medicamentum reſpuit, quod obtuſus hebesq́; admittit, vt libro ſuperiore declaratum eſt.

HAE igitur indicationes ſemper memoria tenendæ ſunt in omni parte, quocunque affectu laboret. Nam eius temperatura, formatio, ſitus, & facultas, particulares noſtras operationes immutabunt, ſeruato communi ſcopo, quem perpetuo ex affectu ſumendum eſſe docuimus. Qui igitur ex nuda ſolaque intemperantia naſcuntur morbi, contraria qualitate curantur: calida quidem intemperies frigidis, ſeu primario loco, ſeu ex accidente ea refrigerent: frigida verò calidis. Ad eundem modum ſicca humidis, humida ſiccis. De eo autem quod primum aut ex accidente calfacit, fuſiſsime (vt noſti) in opere de ſimplicium medicamentorum facultate diſſeruimus,

oſtendentes nonnunquam id ex accidente calfacere, quod primario loco refrigerat, vt in frigidæ aſperſione, qua intrò calor repellitur: & quod calfacit refrigerare, cum calor calidæ aſperſione rarefacto corpore diſcutitur. Itaque corpus cum à ſolis agentibus qualitatibus alteratur, ſola calfaciendi, & refrigerandi, humectandi, ac exiccandi facultate ad naturalem habitum, citra vllam ſenſilem vacuationem, reducitur. Cum vero ſolo materiæ, eiusq́ue temperatæ, influxu laborat, ſola vacuatione eſt opus. Sin intemperata materia ſit, vacuationem ſimul & alterationem per contrarias qualitates deſiderat: vacuationem quidem, haud aliter atq; affectus, qui rheumatici dicuntur, de quibus librum vnum (vt noſti) conſcripſimus: in quo ab initio ſtatim monſtratum eſt, eiuſmodi affectiones fieri, facultate quæ corpus vniuerſum alit, imbecillitate laborante, cum collecta multitudo in omniũ partium infirmiſsimas diffluit. Quinetiam fluente quidem ſanguine quodamtenus vitiato in eiuſmodi partes in rheumaticis affectionibus promiſcuus oritur affectus, quod perraro fortaſsis euenit. Semper enim mihi ſanguis ſine pituita, aut bili vel flaua vel atra, tenuis fluere viſus eſt. Quòd ſi alia quapiam occaſione pars

intume

intumeſcat, videndum eſt, an inflammatio, an ſcirrhus, an œdema eiuſmodi affectus ſit. Inflammationem dicimus omnem calidã ac quaſi flammeam affectionem, cuius differẽtias paulo antè retulimus. Itaq; iam tempus eſt, vt de œdematis pauca tibi tradamus, quo in memoriam reuoces, quæ fuſius me explicante didiciſti.

Vna eſt curationis omnium morborum communis indicatio: nempe ipſum contrarium. Quod pro partis temperatura, formatione, ſitu, & facultate mutandum eſſe oſtendimus. Quoniam igitur morborum non vna eſt ſpecies, ſic nec eorũdem remedium vnum. Morbi enim alij ex nuda ſolaq; intemperie naſcuntur: alij ex ſolo materiæ eiuſq; temperatæ defluxu: alij ex eiuſdem, ſed intemperatæ. Qui igitur ex nuda intemperie fiunt, contraria intemperie curantur: vt calidi frigidis, frigidi calidis, humidi ſiccis, & ſicci humidis. Qui vero ex humorum influxu, ſi quidem temperati ſunt, ſolam vacuationem: ſin intemperati, cum vacuatione alterationem requirunt per contrarias qualitates, eorum videlicet humorum, qui iam partem obſident. Qui vero in corpore adhuc ſunt, vacuatione, aut purgatione, aut vtraq; egent, non aliter atq; in affectibus rheumaticis, qui, vt Galenus docet libro de Curandi ratione per ſanguinis miſsionem, fiunt

toto

toto corpore infirmo, principibus verò illius partibus, paulum licet ipſis inſit ſanguinis, grauari ſolitis, eumq́; in carnoſas partes protrudentibus: & potiſsimum in glandulas excipiendis recrementis idoneas tum ob ſubſtantiæ ſuæ laxitatem, tum quòd omnium partium minime robuſtas habeant naturales virtutes. Nam cum quatuor ſint, vt oſtenſum eſt, Prima attractrix, Secunda contentrix, Tertia excretrix, & Quarta alteratrix, alias quidem tres maxime imbecillas glandulæ carnesq́; obtinent: at vnam alteratricem haud ita multo cæteris partibus minorē. Poſt glandulas ſequitur pulmo fluxioni recipiendæ promptiſsimus. Nam & hic tres facultates infirmas obtinet, & corpus ipſum laxum eſt. Deinde lien. porrò autem cerebrum, vt ille, aut etiam plus excipiēdæ fluxioni eſt habile. Cæterum hoc illis præſtat, quòd constructionem habet his excernendis quæ accepit, promptiſsimam: nempe ingentes ventriculos, qui pronis meatibus euacuantur. Quibus ergo carnoſo genere pulmo, lien ac cerebrum natura robuſtiora ſunt, in his ad glandulas & carnes fluxiones perueniunt: vbi ſcilicet totus habitus infirmus fuerit, velut in rheumaticis affectibus fieri ſolet. merito igitur his curandis ſcopus eſt non vacuatio, ſed totius habitus roboratio. Quanquam curationis eorum initium à venæ ſectione ſumendum ſit. Quòd ſi excrementa prauam etiam qualitatem

habeant. ſimul adhibeatur purgatio, in his maxime corporibus, quibus neutrius plenitudinis proprium ſymptoma ſit: nẽpe grauitas eius quæ ad vires, & diſtenſio eius quæ ad vaſa eſt. Hæc quidẽ Galenus. Ex quibus verbis cõſtat in rheumatiſmis, etiam ſi parum placet Auicennæ, vacuandum eſſe, vbi humor nõdum vitium in qualitate contraxit, apparentq́; vtriuſlibet plenitudinis ſymptomata: nempe vel grauitas in ea quæ eſt ad vires, vel diſtenſio in ea quæ eſt ad vaſa. vbi vero neutrius plenitudinis adſunt ſigna, purgatione potius eſt opus. Si vero vnà cum praua humoris qualitate eadem ſigna appareant, primum quidem ſanguinem mittere, deinde purgare oportet, etiam ſi qui fluit, ſanguis parum à natura exceſſerit.

OEDEMA igitur fungoſus & abſque doloris ſenſu tumor vocatur, quem ex pituitoſo humore conſtare monſtrauimus, aut vaporoſo ſpiritu, qualis in cadaueribus euenit, & in pedibus ſæpe ac cruribus eorum qui aqua intercute, tabe, & alio vitiato corporis habitu laborant. Verum in illis periculoſis affectibus eiuſmodi œdema ſymptoma eſt, nullam propriam præcipuamq; curationem requirens. Sola enim frictio aliàs ex oxyrrhodino, aliàs ex oleo cum ſale, aut etiam oxyrrhodino ſalem habente ipſum ſedat, atq; id genus alia

multa.

Abſoluta de calidis tumoribus diſputatione ad frigidos tranſit, primumq; ad œdemata, id eſt raros ac ſine doloris ſenſu tumores, ex pituita vel flatulento ſpiritu ortos. Hi nonnunquàm alijs morbis ſuperueniunt, vt aquæ intercuti, tabi, & alijs corporis vitiatis habitibus. Aliquando ex tenuis pituitæ influxu: ex craſſa enim ſcirrhi naſcuntur, vt mox dicetur. Quod igitur periculoſos hos affectus œdema ſequitur, multitudinis quæ hominem premit, eſt ſymptoma, vt inquit Galenus, nullam ſeorſum propriam curationem requirens: quando curari, niſi affectu ex quo naſcitur profligato, non poteſt. Sed tamen aliquid de eo remittendum eſt, ſi quidem vires demoliatur, aut primarium affectum augeat, aut curationem impediat. In hydrope, gratia exempli, ſi tantus crurum tumor adſit, vt & diſtenctione dolorem excitet, & progreßionem impediat (quæ ad morbi curationem commodißima eſt) remittendus erit, vt & dolor mitigetur, & expeditior fiat progreſſio. Tumorem autem remittit frictio, vt quæ meatus recludat, excrementa fluxa reddat, & ſi cum oleo adminiſtretur, humectet, laxet, emolliat, quæq; in meatibus continetur, euaporet. Quæ quidem frictio quia plus ſæpe attrahit quàm vacuat, præſertim vbi corpus impurum eſt, vt in ante dictis affectibus, ideo cum aſtringente oleo fit, nempe roſaceo, cui e-

tiam admiſcetur nunc acetum, vbi timetur fluxio: nũc ſal, vbi magis exiccare ac digerere quàm reſtringere oportet: vbi vero ſimpliciter vacuare volumus, cum oleo & ſale fricamus.

AT ſi ex pituitoſo humore partem obſidente œdema factum ſit, ſpõgia aqua, quæ aceti aliquid acceperit, madefacta, aliquando affectum mitigat: qui ſi non quieſcat, paulo plus aceti miſcebis, ita attemperans, vt bibi poſsit. Hoc autem aquoſius initio adhibendum eſt, potiſsimum mollibus corporibus: valentius vero robuſtis, ac cutem duram habentibus, & quæ primo ſpongiæ impoſitu minime iuuentur. Eſto autem ſpongia noua: cuius ſi copia non adſit, curioſe abluatur aphronitro, nitro, & lixiuia ſtillatitia, quam κονίαν σακτὴν vocant. Non cedente autem his remediis œdemate, aluminis momentum adiiciendum eſt, ac ſpongia omnino noua imponenda. Si vero aliquos ex artubus œdema occupet, ſpongiam deligabimus, ab inferiore parte incipientes, ac ſuperiori finientes, iniectionem, compreſsionem, & arctationem, & omnem diſtributionem, vt in fracturis, facientes. Curationis autem ſcopus in hiſce affectibus miſtus eſt, alter quidem, vt horum ſubſtantiæ aliquid digeratur: alter, vt cogatur, ſtringaturque. Si igitur iam dictis remediis morbus

bus non ſedetur, tunc vehementiora miſtã temperaturam habentia ex genere ſuprà relatarum facultatum adhibenda ſunt. Ego vero in inueterato œdemate illitæ oleo parti ſpongiam ex lixiuio admoui: eaque arctius deligata malum vidi percuratum, nõ amplius ſcilicet hac curandi ratione, miſtã facultatem quaſi ſcopum habente, ſed ad digerendam diſſecãdamque materiam declinante: quod in omnibus ferè diuturnis affectibus probari non ignoramus. Poſtquam vero abunde ad te quidem de œdematis ſcripſimus, de ſcirrhoſis tumoribus deinceps diſſerendum eſt.

Quoniam aliorum tumorum more œdema fit ex humorum in aliquam partem fluxione, duplex eius curandi ſcopus erit: alter, vt horũ ſubſtantia digeratur: alter, vt fluxio reſtringatur. atq; prout alter alterũ ſuperat, ſic remedia ſunt miſcẽda, alterum cum altero liberalius aut parcius. Vbi igitur plus erit reſtringendum quàm vacuandum, augenda reſtringentium vis erit. Vbi vero plus vacuandũ, degerentium ac exiccãtium materia præpollere in miſtione oportet. maiorem porrò reſtringentium vim miſcendam eſſe oſtendit maior fluxio, & parcior in affecta parte materia. Contrà, exiccantium ac digerentium vberiorem modum adhibendum, vbi vbe-

rior materia locum obſidet, & fluxio minor eſt. Itaq; poſca ex vſu eſt. Reſtringit enim potenter, nec inualide exiccat. atque hæc quò copioſiorem aceti portionem acceperit, eò valentius: quò vero parciorem, imbecillius aſtringit. Sed aquoſior initio adhiberi debet (nam à leuioribus ſemper inchoandum eſt) & in corporibus mollioribus: valentior autem & quæ plus accepit aceti, robuſtioribus & cutem duram habentibus, & vbi aquoſior non profuerit. Vbi vero plus digerendum eſt quàm ſtringendum, lixiuia commodiſsime admouetur, vt cui maior vis inſit exiccandi ac detergendi quàm reſtringendi. Ad hunc autem modũ eiuſmodi remedia adhibentur. Spõgia noua & quæ nullam alienã qualitatem habeat, aut ſi noua nõ ſit, abluta ac repurgata vel nitro, vel aphronitro, vel lixiuia, madefieri antè dictis remedijs debet, hisq; vel ſimplicibus, vel admiſto alumine, aut ſale, aut alio medicamento, vt Glaucio, prout affectus efflagitare videbitur, imponi loco affecto. Commodiſsima enim huic rei ſpongia eſt vel noua, vel vt diximus repurgata, tum quòd medicamentum copioſum excipiat, diuq; ſeruet, tum quòd ſua ſubſtãtia affectam partem exiccet. Quæ ſi in promptu non eſt, in eius vicem ellychnio vtendum erit. Si autem brachium, vel crus ſit, quod afficitur, deligãda ſpongia erit non aliter atq; in fracturis: hoc eſt, ab inferiori parte incipiendo, ac ſuperiori finiendo.

Sit

Sit autem arctatio mediocris, cuius primæ quidem faſciæ ſpiræq; magis arctandæ: quæ vero deinceps ſunt, remittendæ: ſed non adeo, vt minus laxa ſit deligationis pars, quæ humorum decurſum impedire debet.

EXQVISITVS igitur ſcirrhus, tumor eſt præter naturam ſenſu carẽs ac durus. Non exquiſitus autem, non ſine ſenſu quidem omnino eſt, ſed ægre tamen admodum ſentit. Qui igitur ſine ſenſu eſt, curationem non admittit. Qui vero hebetis ſenſus eſt, vt inſanabilis non eſt, ſic nec curatu facilis. Fit autem ſcirrhus ex glutinoſo & craſſo humore ſcirrhoſis partibus ita infartus, vt facile ſolui non poſsit: qui aliquãdo ſtatim ab initio paulatim concreſcit ac augetur. Sæpe vero à medicis vehementer eryſipelata, ac inflãmationes aſtringẽtibus & refrigerãtibus conflatur. Si quis igitur medicamenta vehemẽter digerẽtia partibus ſcirrhoſis admouerit, & ſcirrhũ manifeſte minuerit, hic breui ſe perſanaturũ eum falſo ſperabit: ignorãs quòd hæc curãdi ratio affectũ relinquit incurabilẽ. reſoluta enim ex ipſo ſubtiliori humiditate, quod reliquũ eſt, exiccatũ, lapidoſum efficitur. Nõ ſunt igitur ſcirrhoſæ partes medicamento vehementer exiccante curandæ, ſed te-

pidum calorem habente : humorem vero neq; multum,neq; omnino paucũ. Quod enim ſupra modum humidum eſt, nihil prorſus digerit : quod vero minimum, pluſquam par eſt exiccat. Oportet igitur corpus ſcirrho obſeſſum à medicamento profuturo, ſimiliter atque hæc quæ in ſole liquantur, affici. Vocantur autem huiuſmodi medicamenta emollientia. De quibus copioſius in quinto de Simplicibus medicamentis proditum eſt. Exempla quoque eorum tradita ſunt : ſimplicia quidem medullæ omnes ac adipes. Ex medullis vero primas tenet ceruina, deinde vitulina. Ex adipibus, volucrum quidem anſerinus, terreſtrium vero leoninus. Gallinaceum autem anſerinus, pardalium vero ac vrſinũ leoninus antecedit: poſt quos eſt taurinus. His autem craſsior eſt ac ſiccior caprinus: atque hoc magis, hircinus. Quòd autem eiuſmodi affectus vehementer ſiccãtibus nõ egeant, dictum eſt antè. De differentia autem quæ ex eorum tenuitate ac craſsitudine ſumitur, docuimus quidem, ſed nõ perſpicue. Idcirco in memoriam tibi reuocanda ſunt, quæ inter nos commentabamur, dum Cercilij puerum curabam: cui ex eryſipelate vehementer aſtricto & refrigerato tumor ſcirrhoſus in toto femore reli-

ctus

ctus erat : cui curandæ tenuium partium medicamenta adhibenda eſſe exiſtimabamus. proinde pueri femur oleo fouebam in profundo labro ſedentis largum oleum ſabinum continente : quòd non ignorarem, maiore id partium tenuitate quàm cætera præpollere. Balneo verò, niſi pluribus interiectis diebus, curandi totius corporis cauſa, prohibebam. Poſt vero eiuſmodi fotũ medicamenta ex commemoratis medullis & adipibus affecto loco imponebam, admiſtis nonnunquàm bdellio ſcythico, maſtiche ægyptia, & ammoniaco thymiamate pingui nõ vetere, necnon & galbano, quibus præmunitum totum femur pinguiſsimo ammoniaco, aceto acerrimo reſoluto circunleui, deinde interpoſito rurſum ſpatio panacis liquorem pinguiſsimum aceto acerrimo diſſolutum adieci, eumque recentem, alioqui pinguis nõ perduraret : quemadmodum neque bdellium, neque ammoniacum, neque galbanum. Puerum vero alteri cruri innixum ſaltare iuſsi, quò plus in id alimenti ferretur. Poſtea verò redacto iam ad æqualitatem ſcirrhoſo tumore, veritus ne reliquiæ ſupereſſent, contrariam curationem iniui, femur aliquo ex reſinoſis medicamentis illinens. Perſpicue enim videbatur ſcirrhoſa moles inſigniter quidem

concidiſſe medicamentorum quæ ex aceto conſtant, litu: relaxantium vero, molleſcere, ſed non decreſcere. Verum alternatus eorum vſus moderatus puerum curauit. Nam ſi altero tantum genere medicamentorum ſcirrhum curare tentaſſes, hunc nequaquam ſanaſſes.

Scirrhus tumor eſt durus & ſine vllo dolore, ſed non ſine ſenſu, niſi exquiſitus omnino ſit. Fit autem interdum incommoda inflãmationis & eryſipelatis curatione, admotis medicamentis vehementer vel refrigerantibus, ac ſtringentibus, vel immodice tenuem digerentibus humiditatem. Interdum vero ſponte & ſine externa occaſione, ſcilicet humorum craſſorum vel glutinoſorum vel vtrorumq; influxu in aliquam partẽ. Si quis igitur ſcirrho curando medicamẽta quæ vehementer trahant ac digerant, admouerit, primis quidẽ diebus egregiè curatio proceſſiſſe videbitur: ſed quod relinquetur, in lapidoſam duritiem concreſcet, ſcilicet reſoluto ac digeſto toto eo quod tenuium ſit partium, more lapidum qui in renibus & veſica generantur. quod vbi concreuerit, nullam curationem admittet: neq; enim ſolui poteſt: quemadmodum nec lapides, ſi abſumptã humiditas eſt. ſcilicet eorum meatibus ob anguſtiam humorem non admittentibus. Oportet igitur corpus ſcirrho obſeſſum à medicamento

quod

quod iuuare debeat, ſimile quidpiam his quæ in ſole liquantur, pati: quemadmodum enim ſolaris calor, vbi in meatus rei liquabilis ſubierit: quod latebat, humidum ſoluit: ſic emollientis medicamenti in ſcirrhoſam materiam ingreſſus eã emollit. Sed nec quæ molliũnt, continuo affectum curant. opus enim eſt & digerentibus, non quidẽ vehementer, ſed quæ molliendo commode id præſtent. Cuiuſmodi ſunt medullæ omnes, in quibus principem locum obtinent ceruina & vitulina: quemadmodum & adipes, alij alijs magis, pro varijs animalium temperamentis. Summa igitur curandorum ſcirrhorum hæc eſt, vt vacuetur quod præter naturam eſt. Vacuatur autem, quod pertinaciter meatibus inhæret, digerentibus, non quidem vehemẽter, vt diximus, ac emollientibus, hoc eſt modice calfacientibus & exiccantibus. Qui autem ob calorem vehementer digerentem in tophaceam duritiem concreuerũt, immedicabiles ſunt: ſi tamen aliquo modo iuuari poßint, humectandi ratione curari debent.

TENDONES verò (ſic enim neruoſas muſculorum propagines voco) ex commemorato medicamentorum vſu euidentiſsime iuuari videmus, ſi, quæ pyrite lapide initur, curandi ratione probè vtamur: hunc autem oportet igni candentem acerrimo aceto inſpergere, deinde affectam

parti

particulam ſuper hunc dimouere, vt à vapore ſurſum exhalante ſcirrhus ſoluatur. Multæ enim partes iam planè repandæ curuatæque, hac curandi via quæ ſic verſando fit, integrè ſanatæ ſunt, ita vt incantamentis ſimilis res eſſe crederetur. ſcirrhoſam autem partem remediis antè dictis emollitā præmunire oportet. Quinetiam in hac quæ pyrite fit, curatione largo oleo ſabino per quā calido ſubinde fouendus affectus eſt, aut aliquo alio ex ſubtilium genere. Nec verò minus proderit anethi potiſsimū viridis ac recentis comam oleo incoquere. Quòd ſi pyrites in promptu non ſit, molari eſt vtendum, ſic enim lapidē, ex quo molas parant, quibus frumentum molimus, vocant.

Oſtenſum prius eſt, omnium tumorum vnā eſſe communem indicationem: nempe vacuationem, & omnium ſcirrhorum, qui quidem callum nondum contraxerunt, eam quæ commode digerendo emollientibus fit. Monſtratum præterea eſt partium conſtitutiones curationem variare. Igitur in tendonum ſcirrhis, quæ partis duræ ac denſæ ſunt, cum emollientibus miſcēda ſunt quæ diſſecent. cuiuſmodi eſt acetum, quo & ad alias partes vtimur: vbi ſcilicet affectus inueteratus eſt, & pars affecta iam remollientibus eſt præparata. Incidit enim acetum, ac reſoluit craſ-

ſos

ſos humores. Vtilis igitur eius vſus eſt, ſi modicè opportuneq́; adhibeatur, non ſæpe, nec longo tempore, nec inter morbi initia, ſed interpoſito remollientium vſu. alioqui tenues partes violenter abſumeret, vt Galenus ait, & reliquias humoris in lapidoſam duritiem cogeret. Ad hunc autem modum miniſtratur lapis pyrites, vel molaris, igni candẽs acerrimo aceto perfunditur, ſuper vaporem calidum quem ſurſum emittit, ſcirrhoſa pars collocatur, ſubindeq́; verſatur, vt tota vaporem melius excipere queat. Poſtea medicamentum emolliẽs, vt docet Galenus, imponitur. quotidie vero oleo aliquo quod tenuium partium ſit, affectus perfunditur, in quo althææ radix, aut cucumeris ſylueſtris, aut anethũ viride & recẽs, aut id genus aliud incoctũ ſit. Multas enim partes iam magnitudine ſcirrhi incuruatas ac in orbem contractas hac curandi ratione, quæ verſando partem in ipſo vapore fit, perſanatas fuiſſe ſcribit Galenus, ita vt diuina potius quam humana res eſſe crederetur. In alio exemplari legitur. προκαταντλῆσθαι δαψιλῶς, in Aldino ἐλαίῳ δαψιλῶς θερμῷ; prior lectio magis mihi applaudit.

LIENEM autem ſcirrhoſum non ſolum foris adhibitis vehementibus medicamentis curare oportet, ſed & validiſsimis potionibus. Nam & has citra moleſtiã perfert. Ex hoc autem genere optima ſunt

radic

radicis capparis cortex, & ſcolopendrij & myricæ tum radices, tum ramuli. Hæc autem omnia in aceto & mulſo aceto incoquenda ſunt.

Lien ſcirrho obſeſſus vehementia admittit medicamenta, ſiue foris, ſiue introrſum adhibeātur, etiā ſi raræ ſit ſubſtantiæ, & munus habeat corpori neceſſarium, nempe excipiendi atræ bilis recrementum. Quoniam autem minime neruoſa ea pars eſt, proindeq; ſenſus hebetus, & in alto condita, fortiſſima fert medicamenta, ſed alternatim, vt de aliarū partiū ſcirrhis diximus, impoſita. Itaq; vtiliter bibitur vel acetum, vel poſca, vel acetum mulſum: in quibus incocta ſint radicis capparis cortex, ſcolopendrij & myricæ tum radices, tum germina. Foris vero imponuntur remollientia, quale cataplaſma eſt, quod quia ex althæa cōſtat, dialthæas dicitur: agreſtis maluæ folia cum adipe anſerino vel ſuillo, aut alio remolliente. Incidentia vero ac digerentia, vt ammoniacum, cui tantum aceti admiſtum ſit, vt luti craſſitudinem accipiat: & flos ſalis, vt qui & extenuet & digerat abunde.

SAEPE verò lien tangenti reniti videtur, tametſi ſcirrhoſus non ſit, ſed potius flatulentus. In quo affectu vbi abſinthio prius locum perfuderis, imponendum eſt emplaſtrum miſtæ facultatis: quale eſt, quod ex ſulphure & alumine conſtat. Plurima profect

fecto id genus remedia in medicamentorum libris ſcripta ſunt. Non ſimpliciter autem myſtorum medicaminum viribus animum intendere oportet, ſed & quãtum miſceatur. Cum enim flatu lien aut potius œdemate intumuit, etiam ſi aluminis multum inieceris, nihil offenderis. At ſi ſcirrho occupetur, digerendi facultas præpollere debet. aſtringendi vero exigua portio admiſceri. Cum verò ex ſimplicibus ſponteq; naſcentibus medicamentis ſalis flos hac vi ſit præditus, ſcirrhoſum lienem ſanat foris in marſupio impoſitus.

Lienem nunc ſcirrhus, nunc flatus (opportunus enim his iniurijs eſt) occupat. hic facile, ille ægrè diſcutitur. Rurſus hic magis, ille minus digerentibus eget. Quocirca flatuoſus lien abſinthio prius perfundi, deinde ipſi emplaſtrum imponi, quod miſtæ ſit facultatis, debet. quale eſt quod ex ſulphure & plurimo alumine conſtat.

IECORIS verò ſcirrhum, recentem ſæpe curauimus: inueteratum verò neque ipſe ſanare potui, neque alium qui poſſet, noui. Omnes enim ita affectos omnino ſequitur aqua intercus. Plurimi autem longiore temporis ſpatio intereunt. Nonnullos vero breui perire vidi, quibus aluus

mult

multa deiiciebat. Palàm igitur eſt his ſtipata eſſe vaſorum ora, per quæ cibus ex ſimis iecoris partibus in conuexas tranſmittitur. Quòd ſi qui ex his curati ſunt, non alia ratione quàm quæ in muſculoſarum partium ſcirrhis monſtrata eſt, ſanitatem ſunt adepti. Non enim hoc viſcus vehementia medicamenta, vti lien, ſuſtinet. Remollientium igitur miſtura quæ inflammationis ratione viſceri admouentur medicamenta augenda ſunt. Erant autem illa ex abſinthij coma, & expreſſo ex vnguentaria glande oleo, mirobalanupieſma vocatur, & vtraq; nardo, indica, & celtica: præterea croco, & œnanthe, maſtiche chia, & vnguentis ex nardi ſpica temperatis, item maſtichino, melino, & œnanthino. his igitur ſi ammoniacum thymiama, & bdellium, & cõmemoratæ medullæ ac adipes, quæq; incidere idonea ſunt, adiiciantur, iecoris ſcirrhum ſanant, commoda victus ratione obſeruata, vnà cum medicamentorum potione, quæ obſtructionem delent, & ſuccũ qui in viſcere retinetur, detergunt. Hæc autem omnia vim habent comminuendi etiam renum calculi: quorum materiam multi medici tractarunt. His autem quodpiam admiſcendum eſt ex illis, quæ vrinam mouere poſſunt: quorum materia

plur

plurima tum à multis aliis, tum à nobis in opere de medicamentis ſcripta eſt. Quocirca quæ nunc dicta ſunt, tibi ſufficiant.

Iecur munus habet toti corpori publicum, & virtutis naturalis eſt principium. Igitur eius habenda maxima ratio eſt, ne robur amittat. Vehementia enim medicamenta, vti lien, ferre non poteſt. Quocirca ſi ſcirrho laboret, non facilem curationem admittit, niſi recens ſit. Nam inueteratus omnino non curatur, quia tam vehemẽs medicamentum quàm affectus efflagitat, iecur ferre non poteſt, vt cuius vehementia partis robur vniuerſo corpori maximè neceſſarium ſoluat. Hoc vitium aqua intercus ſequitur. tãdem proceſſu temporis mors. Natiuum enim iecoris calorem, proindeq; eius virtutem demolitur (oſtenſum enim eſt hunc virium eſſe ſubſtãtiam.) Itaq; pro ſanguine quo ali debet corpus, generatur aquoſa humiditas: vnde aqua intercus naſcitur. Aliquãdo vero, cum ſcirrhus vias per quas ex ſimis iecoris in conuexas partes defertur, obſtruit, mors hydropen anteuertit, ſcilicet corpore alimentum non recipiente, & aluo immodicè fluente. Qui igitur curationem admittit, non alia ratione ſanitatem conſequitur, quam quæ ſcirrho laborantibus muſculis adhiberi ſolet. quam Galenus decimoquarto Methodi medendi ad hunc modum docet: Ad muſculos vero alium ſanè non vidi, qui ammoniaco thymiama-

te cum aceto vteretur. Ego vero ſæpe vſus ſum, vtiq; mollientium vſui interponens. atqui ſub illis nulla cernitur euidens vtilitas. Sed poſteaquam per ea mollitus ſcirrhoſus tumor eſt, maximum certe vſum ammoniacum aceto liquatum confert. ſufficit autem vno alterove die vſos ad remollientia reuerti, ac rurſus his pluribus diebus vſos, denuo ad medicamen quod ex aceto fit redire: ſiue id ammoniacum, ſiue quid aliud habeat eorum emollientium quæ paulo ſupra ſunt comprehenſa. Hæc quidem ſcirrhi muſculorum curandi ratio, quam Galenus iecoris ſcirrhis conuenire docet: quod verum eſt indicatione à morbo petita. remollientia enim ac digerentia requirit. Pars vero quoniam & virtutis principium eſt, & munus toti corpori habet commune, maxime ſui tutelam indicat: proinde cum ante dictis medicamentis miſceri debent, aut eorum vſui interponi, quæ modicè ſtringendo robur partis ſeruent, qualia ſunt abſinthium, œnanthe, & alia hic à Galeno commemorata.

AD aliud enim tumoris genus iã tranſire tempus eſt: cui gignendo flatulentus ſpiritus materiam ſuggerit. Dicitur autem non ſolum flatulentus, ſed & flatus, eiuſmodi ſpiritus craſſus ac vaporoſus, neque æthereus ſubſtantia, neque tenuis: eius vero naturam intelliges, ſi qualis in auſtrina, qualisq; in

in aquilonia conſtitutione ſit ambiens aër, in memoriam reuocaris. Siquidem auſtrino flatulentus, aquilonio vero naturalis in nobis ſpiritus eſt ſimilis. eiuſmodi autem ſpiritus difflationem, corporis etiam denſitas impedit. Quocirca eius affectus curatio vnum ac communem vtrique ſcopum habebit: nempe denſi corporis rarefactioni, & craſsi ſpiritus extenuationi. Nam ſi medicamentis tenuitate partium pollentibus vtrunque ſufficienter calfeceris, denſum quidem rarefacies, craſſum vero extenuabis. Affectorum autem locorum natura ad idoneam remediorum materiam indicandam conferet, eiuſque adhibendæ maiorem minorémve modum. Nam id genus ſpiritus craſſus ac vaporoſus nonnunquam quidem ſub membranis quæ integunt oſſa, collectus continetur, nonnunquam ſub peritonæo, aliquando vero in inteſtinis & ventre: interdum & ſub membranis muſculos circundantibus: quemadmodum & ſub membranoſis tendonibus. Nõnunquam autem & in ſpatiis quæ cogitatione percipiuntur tum muſculorum, tum aliarum corporis partium: quarum naturam ex anatomicis adminiſtrationibus didiciſti. Ad hunc quidem modum & muſculus ipſe ſpiritu impletur. In ventre quoque

aut inteſtinis flatulentus ſpiritus concluditur. qui ſi vehementer frigidus ſit, maximum excitat dolorem. Hæc autem omnia curationem quidem, vt diximus, habent communem ex tenuium partium materia: quæque ſi doloris particeps ſit affectus, eam habeat naturam, vt dolorem mitigare poſsit. Pro differentia verò affectorum locorum, tum curationis materia mutatur, tum facultas intenditur ac remittitur. Cum igitur eiuſmodi flatus dolorem in inferiore ventre pepererit, oleo tenui vnà cum medicamentis quæ in eo cocta fuerint, infuſo ſtatim eum ſedabis. Incocta autem in oleo medicamenta cum partium tenuitate calfaciunt, quale eſt cyminum quod apud nos naſcitur, & eo amplius quod æthiopicum dicitur, & apij petroſeliniq́ue ſemen, fœniculi, ſinonis, aniſi libyſtici, ſeſelis, dauci, & ſpondylij. Quòd ſi dolentium partium affectum frigidum eſſe conieceris, in eo rutam, fœniculum, & lauri baccas incoques, admiſcebisq́ue bitumen, atque ipſum oleum laurinũ, quæq; ſimili calfaciendi facultate ſunt prædita. & ſi inflammationem cum doloribus iunctam eſſe ſuſpiceris, omnia acria, & vehementer calida demes. Ad ea verò, quæ cum his facultatibus mediocribus relaxare poſſunt,

ſunt, tranſibis. Itaque in oleo incoquendum anethum eſt, non ruta, miſcendusque adeps anſerinus, aut gallinaceus. Sed hæc quidem in magnis doloribus. Mediocres verò foris adhibito fotu iuuantur, maximeque ex milio, vt cuius lenitas nullam omnino partibus dolentibus moleſtiam adferat. Aut ſi eius copia non ſit, excalfacto ſale, aut lino crudo, aut alio quouis modo. Atq; magna cucurbita cum larga flamma ſine cutis ſcarificatione præſens dolori ſæpe remedium attulit. Hac autem cingendus eſt vmbilicus. Quòd ſi poſt hæc dolor perſeueret medicamentis ex opio, quale eſt Philonis Tharſenſis omnibus medicis cognitum, vti non formidabis, etiam ſi neceſſario noxam aliquam afflictis partibus ex his acceſſuram non ignores. Sed certe ei quod magis vrget, obſiſtendo hominem doloris vehementia animo delinquentem cum parua noxa ſeruare ſatius erit. Nam ſequentibus deinceps diebus offenſionem medicamento contractam emendare poteris. Eiuſmodi autem medicamenta quia dolores mitigant, Anodyna vocantur: hos enim ſedant. At non affectum integre curant, ſed ſentiendi facultatem conſopiunt. Vtendum autem eſt philonio & omnibus ex opio confectis medicamen-

tis,non recentibus, ſed annotinis, aut minimum,ſemeſtribus. Maximè igitur ac celerrimè gracilium inteſtinorum dolores epotis medicamentis ſedantur,quemadmodum iiſdem in ſedem immiſsis craſſorum affectus protinus iuuantur. Cæterum non exiguam virtutis portionem epota medicamẽta infernis affectis partibus & in ſedem indita ſupernis diſpenſant. Quinetiam in carnoſas partes ſpiritus flatulentus colligitur: aliquando omnino ſine dolore, & diutius durat, præcipue iuxta articulos, vbi muſculi ipſi tum neruoſiores, tum compactiores ſunt: in medio vero carnoſiores ac rariores. Tales autem affectus, vt noſti, medicamentis ex pice, reſina terebinthina, & adipe leonino, & ſeuo taurino curaui. Prodeſt autem & ipſis medicamentum quod ex ſtrigmento & calce paratur, & quod ex ſycomoro conſtat: atque vt ſemel dicam, inſigniter tenuia, quibus remollientia ſint permiſta.

Inflationes fiunt ex ſpiritu flatulento in parte aliqua aceruato: vt ſub cute in mẽbranis quæ oſſa, & muſculos contegunt: in muſculis viſcerum, in ventre & inteſtinis, in peritonæo & alijs corporis ſpatijs, tam quæ ſenſu, quàm ſola cogitatione percipi poſſunt. Generatur autem e-

inſmo

iuſmodi flatus, ex materia humida, & calore, minore quidẽ quàm qui eam materiã ſenſili tranſpiratione digerere poßit. eiuſmodi enim calor, ſuſcitare quidem vaporem ex humida materia poteſt, ſed non, vt dixi, digerere. Nec verò frigiditas nec caliditas ſuperuacanea flatum gignit: quod illa materiam humidam cogit, hæc verò diſcutit. Temperatus verò & proportione humori reſpondens calor tantum vaporis ſuſcitat, quãtum digerit: ideo flatum non procreat. Quod ſi cum caloris imbecillitate, adſit meatuum per quos flatus euaporetur, denſitas, inflatio maior erit: cum alioqui ipſa per ſe cum mediocritate, tum caloris tum vaporis partem inflare poßit. quemadmodum contrà, ſi calor languidus vaporis copiam exuſcitet, & caro cutiſq; admodum rara ſit, nulla aut exigua fiet inflatio. Hinc fit vt hyeme frequentius; æſtate minus corpus infletur. Cum igitur hæc tria, materia humida, caloris imbecillitas, & meatuum denſitas inflationem generent, curationis ſcopus erit, caloris ſubſtantiam roborare, vaporem extenuare, & meatus recludere. Poſteriora fiunt medicamẽtis extenuãtibus & calfacientibus, magis minúsve pro partium denſitate & raritate, vaporum craßitudine & tenuitate. Raræ enim partes & vapor non admodum craſſus, minus: denſæ verò & vapor admodum craſſus, magis extenuantibus, & calidis egent. Caloris autem ſubſtantia ſi

periͅt, inſtauranda eſt: ſi alterata eſt, ad mediocritatem reducenda, vt prius oſtenſum eſt. Quòd ſi vnà dolor cruciet, ad anodyna tranſeundum eſt. Affecto igitur vẽtri prodeſt fotus ex milio, aut ſale, aut crudo lini ſemine, ſi quidem dolor mediocris ſit, aut iuncta cum dolore inflammatio: Sin vehemens, vtendum eſt oleo tenui, in quo cyminum incoctum ſit, apij & petroſelini ſemen, & id genus alia, quæ Galenus fuſe docet, quibus ſi non ſedetur dolor, cucurbita magna cum larga flamma, ſine ſcarificatu affigenda ventri eſt, ita vt vmbilicum complectatur. Quòd ſi nec hæc profuerint, medicamenta ex opio adhibenda ſunt: quæ quia dolorem mitigant, anodyna dicuntur. Dolor autem trifariam ſedatur: nempe aut calfaciẽtibus, extenuãtibus, rarefacientibus, vaporem exitum non habentem diſcutientibus: atq; hæc acopa, vereq; anodyna dicuntur: Aut dolentem partem conſopientibus, quæ narcotica vocant: aut quæ ſua miſtura humorum acrimoniam temperant: dicuntur autem hæc ἐπικεραστικὰ. omnia vero homonymè anodyna dici poſſunt. Quòd ſi artus inflati ſunt, aut muſculi ſub cute, aut membranæ oſſa conueſtientes, citra quidem dolorem liquor aliquis tenuiſſimarum partium, quale lixiuium eſt ſpongia noua exceptum, imponi debet. Cum dolore verò, vngenda pars oleo, quod relaxandi ac remittendi vim habeat. Quoniam autem eiuſmodi affectus fiunt,

vt Gale

vt Galenus ait; contuſis muſculis vel membranis, quibus oſſa circundantur, muſculis quidem, quòd ſæpe ex contuſione doleant, medicamẽtum quod mitiget imponendũ eſt: qualis ſapa eſt cum oleo & vino & pauco aceto: in principio autem ſuccida lana excepta, calida imponi debent. hæc enim non ſolum leniunt, ſed concoquunt, digerunt, ac reſtringunt: quæ contuſus muſculus deſyderat. In affectus autem declinatione miſceri acetum non debet, ſed lixiuium ad materiæ extenuationem & digeſtionem, meatuúmq; recluſionem: membranis verò oſſa cingentibus ſpongia lixiuio imbuta imponenda eſt. Vehementiora enim medicamenta quàm muſculus admittit, propter diſtantiam longiorem & denſitatem maiorem.

QVONIAM de his abunde diximus, tempus eſt vt de abſceſsibus diſputemus. Sic autem has vocant affectiones in quibus à ſeipſis, quæ prius iungebantur, partes abſcedunt. Spatium igitur in medio vacuum fieri neceſſe eſt, quod materiam aliquam aut flatuoſam aut humidam aut ex vtraque miſtam continebit. Mutantur autem in abſceſſum & inflammationes quædam, & eryſipelatoſi phlegmonoſique tumores non pauci. Præter hæc autem & abſceſſus ex quorundam humorum aut ſpirituum va-

poroſorum abundantia fiunt, ſiue in affecta rum partium medio gignantur, ſiue aliunde eorum modo quæ ἀποσκήμματα dicuntur. Sic enim eas affectiones vocant, cum humoris loco, quem prius infeſtabant, relicto, in alterum confluunt. Quocunque autem modo fiat abſceſſus, id ſpatium quod abſcedentes partes interiacet, humoribus illum afficientibus impletur. Qui ſi diutius aliquando maneant, in varias formas mutantur. Etenim lapidibus, arenis, teſtis, lignis, carbonibus, luto, ſtrigmento, amurcæ, fæci, multiſque id genus aliis ſimilia, ſæpe in abſceſsibus contenta depræhenduntur. Qui igitur ſub cute ſumma conſiſtunt, facilime dignoſcuntur, nec ægrè curantur. Nam tactus proprietate prōptè innoteſcūt. Curantur verò medicamentis foris impoſitis: non quemadmodum qui in imo corpore maximeque in viſceribus conſiſtunt, ea quæ potantur, deſiderantes. Quod igitur ad dignotiones attinet, prementibus digitis abſceſſus ſuppurantes, more obſeſſarum inflammatione partium non renituntur. Itaque manifeſtum ſui indicium præbent. Habitus autem proprietas, alia quidem in tenuibus, alia vero in craſſis humoribus eſt, quemadmodum in glutinoſo & mucoſo humore. Sæpe vero

quæ

quæ abſceſsit pars ſpiritu diſtenta nobis obiicitur, qua diuiſa, ſanguinis grumus inuenitur. Itaque quiſquis bis aut ter eiuſmodi affectum viderit, ſi diligens ſit ac memoria valeat, an grumus in hiſce tumoribus contineatur, dignoſcere poterit reuocando in memoriam diſtenſionis & habitudinis proprietatem. At forte præſtat non proprietatem, ſed quantitatem diſtentionis & habitudinis dicere. Curantur autem quæ per ſumma ſunt, inflammationes, dũ in abſceſſum vertuntur, initio quidẽ abſceſſionis dolorem ſedando ac relaxando; ea vero iam procedente tranſire ad maturandi & ſuppurandi (ſic enim propriè appellant) rationem oportet: de qua aliiſque id genus in quinto de Simplicium medicamentorum virtutibus libro diſſeruimus. aqua igitur liberalius fouenda, ac calente oleo perfundenda eſt pars inflammata, imponendumque cataplaſma ex triticea farina, in aqua & oleo temperatè cocta: celerius enim ad ſuppurationem ducit, quàm quod ex pane cataplaſma conficitur. Illud enim maxime digerit, nimirum quod ſalem & fermentum recipiat, exacteque ſit coctum. Nihil verò horum obtinet, quod ex triticea farina fit. Et cum initio ſuppurationis, inflammationis

cura

curationem moliris, ſi ſperes eam prohibere poſſe, panem cum oleo & aqua permiſtum plurimum incoques: aquæ autem quàm olei, maior ſit portio. Farina autem hordeacea eodem modo parata ſuppurationem magis impedit. In hac autem curatione concocta ſit in aqua, qua locus foueatur, althææ radix. Si vero cutis partis inflammatæ vehementer diſtendatur, hanc frequentibus inciſuris per ſumma ſcarificare oportebit, poſtea hordeaceam farinam modo declarato coctam imponere. Tentaui autem ſæpe in ſuperficie leues omnino inciſuras facere: alias verò his contrarias altas, magnasque, & alias tertias, inter has longitudine & altitudine medias. Quæ igitur in ſumma cute fiebant, exiguam opem ferebant. Altæ verò ac longæ plurimum ſanguinis fundebant, adeo vt animi ferè deliquium adferrent: atque hæ rurſus propriam curationem, vti vulnera, deſiderabant. Intermedias autem à dictis incommodis ſemper liberas eſſe depræhēdi: quocirca his potius, quàm aliis, vtendum eſſe duxi. In quibus verò tumor ægrè ad ſuppurationem ducitur, ægreque diſcutitur, infartos humores craſsiores eſſe ac tenaciores credendum eſt. Eiuſmodi autem affectus ſoli altis ſcarificationibus rectè curari poſſ

rari poſſ

rari poſſunt : quibus & cataplaſma quod ex decoctis caricis conſtat, conuenit. Non autem ipſæ caricæ, ſed aqua in qua coquendo contabuerint, ſumenda eſt. Dulces autem ac pingues ſint, vt earum humor melli ſit ſimilis. quod ſi plurimum has concoxeris, tenuis mellis craſsitudinem decoctum repræſentabit. Huic igitur aquæ miſcenda eſt interdum hordeacea farina, interdum vero panis cibarius, quem ſyncomiſtum vocant : ſic enim dicitur medius inter exquiſitè purum, & quem pityritem, id eſt furfuraceum appellant: ſyncomiſtum nonnulli autopyrum dicunt, quoniam in puro quidem farinam non qualis natura eſt, ſed repurgatam furfure in panificium aſſumunt. Contrà in furfuraceo puriſsima farina eximitur. Cibarius autem panis, qualem triticum natura farinam habet, talem ſeruat. Oportet autem triticum ex quo farina ſumitur, ex iis eſſe, quæ generoſa dicuntur. Quoddam enim plurimum in ſe furfuris obtinet, idque ignobile dicitur : aliud vero ſimilaginis, quod, vt dixi, generoſum vocant. Triticum igitur, ex quo vtilis ad cataplaſma farina ſumenda eſt, furfuraceum non ſit, ſed, vt diximus, ſimilaginoſum. Quòd ſi ex ignobili tritico farina deſumatur, nonnihil furfuris detrahen

trahendum erit. Atq; ita panis medius conficietur: cuius pars media ac tenera ad cataplaſma miſcetur, quando, vt dixi, facultate medium inter hordeaceam & triticeã farinam cataplaſma temperare in animo fuerit. Nam triticea farina pus maxime mouet, ac concoctionem iuuat: hordeacea maximè digerit. Commemoratus verò panis mediam ſortitur farinam, quemadmodum eius farina inter antedictas farinas triticeas eſt media. ad hoc igitur reſpiciens, caricarum decocto miſceas, quod commodius tibi videbitur, ſiue ex farinis, ſiue ex ex panibus. Quòd ſi tumor diſcutiatur quidem, ſed minus quàm par ſit, cum caricis incoquẽdum hyſſopum eſt, aut origanum. Quando autem valentius tumorem exiccare voles, decocto ſal adiiciendus eſt: deinde hordeacea farina inſpergenda: ex qua vbi quód furfuraceum eſt, totum excuſſeris, diutius coctum cataplaſma impones. At in tumoribus, qui facile non digeruntur, timendum eſt, ne reliquiæ in ſcirrhum mutentur. Quocirca diligenter animaduertendum eſt, quoties ſoluitur cataplaſma; in quod omnis qui curatur tumor, tranſeat (curandi enim ratio, quæ vehementer exiccantibus obitur, ſcirrhoſum affectum relinquit) id autem in quaque

ſolu

ſolutione depræhendes, ſi affectam partem tractando, præſentem eius ſtatum cum præcedente comparaueris. Si igitur aliquando hanc cõiecturam habueris, in aqua cucumeris agreſtis radicem aut brioniæ aut aſari incoques. Sæpe quidem has ſolas, nonnunquam verò & adiectis pinguibus caricis. Deinde farina cum aqua miſcenda eſt, cui & adipis maximè anſerini aut gallinacei nonnihil adiicies: quorum ſi copia non ſit, ſüillus eſt addendus. Dictarum autem herbarum, & cum his althææ radices poſt mediocrem coctionem cum pane & adipe contritæ eiuſmodi tumores diſcutiunt. His verò valentior eſt dracunculi radix: cum qua, ſi quando vti voles, (cum maiore partium tenuitate & digerendi facultate, quàm quas modo commemorauimus, polleat) admiſcendus omnino adeps eſt. niſi enim humectaueris ac emollieris, ſed tantum vehementioribus medicamentis ſcirrhoſos tumores digerere ſtatueris, primis quidem diebus hos inſigniter minues, ſimul id quod relinquitur, indurans: quod vbi in duritiem coactum fuerit, ægre diſcutietur. Itaque commodius, vt diximus, valenter digerentibus emollientia miſcebimus, cum in ſcirrhum tumores mutari metuimus cuius curandi

ratio ſuprà audita eſt.

Apoſtema Græci, nos abſceſſum dicimus, cũ materia aliqua corporis partes quæ prius coaleſcebant, diſiungit, ſpatiumq; in medio efficit, in quod ſeſe ea recipit. Malè igitur nonnulli apoſtematis & inflammationis nomina confundũt: quando inflammatio & cum apoſtemate & ſine eo, quemadmodum apoſtema cum inflammatione & ſine ea poteſt accidere. Fit autem abſceſſus ex vaporoſo ſpiritu, aut humida materia, aut miſta vtraq;. Vapor ac ſpiritus ſpatium ſibi diſtendendo molitur. Humor autem vel acrimonia exulcerante, vel abundantia diſtendente rumpenteq; velut ſinum aliquem, in quem ſe recipiat, facit. Hanc autem materiam ſuggerit inflammatio, vel eryſipelas, vel miſta ex inflammatione & eryſipelate affectio, cum in pus vertuntur, vel humor, aut vapor in loco genitus, aut aliunde accitus. Igitur quocunq; modo fiat abſceſſus, id ſpatium quod abſcedentes interiacet partes, humoribus eum efficientibus impletur: qui ſi diutius aliquando maneant, in varias formas mutantur: nempe lapidibus, arenis, teſtis, lignis, carbonibus, luto, ſtrigmento, amurcæ, fæci, & id genus alijs ſimiles. Nam pro humoris tum colore, tum concretione, & caloris magnitudine, tẽporisq; ſpatio aliæ atq; aliæ formæ in alijs & diuerſis abſceßibus fiunt: nempe

dura,

duræ, molles, liquidæ, nigræ, rubræ, flauæ, albæ. Craſſam enim materiam in duritiem temporis proceſſu cogit calor vehemens. quæ ſi nigra ſit, carbonis ſpeciem repræſentabit. Mediocrem verò, calor mediocris, in pus mutabit: liquidam digeret. Qui igitur in carne cuti ſubiecta conſiſtunt, facilè cognoſcuntur, nec ægrè curantur. Siquidem materia, ex qua fit abſceſſus, craſſa, aut glutinoſa, aut mucoſa, aut grumoſa, aut in aliquam ex antè dictis formis mutata, tactui renititur. Humida verò ac tenuis, aut iã in pus verſa, prementibus digitis cedit, niſi multitudine cutem diſtendat. Duris enim caro noſtra cedit, carni verò mollia. Curantur autem in ſumma cute inflammationes quæ in abſceſſum vertũtur, initio quidem abſceſsionis dolorem ſedando ac relaxando. ea verò iam procedente, ad maturandi, & eius quæ propriè ſuppuratio dicitur, rationem tranſeundum eſt. Dolor interim, dum inflãmatio in abſceſſum mutatur, vehemẽtius affligit. quia qui tum putreſcit humor, partem acrimonia exulcerat, calor inflammat, & eandem multitudine diſtendit, ac vnitatem eius ſoluit. Mitigatur igitur dolor, acrimoniam exulcerantem retundendo, calorem extinguendo, & diſtenſionem remittendo. Acrimoniam retundunt ἐπικεραστικὰ, id eſt quæ ſuæ ſubſtantiæ miſtura eam molliorem minuſq; mordentem reddunt. Qualia ſunt lac, oleum, aqua dulcis, & id

genus alia. Inflammatam partem refrigerant, propriè quidem, facultate frigida: impropriè verò & ex accidenti, calida, materiam quæ partem inflammat, digerendo ac diſsipando. Laxăt verò, quæ emolliunt, rarefaciunt materiam in meatibus contentam, extenuant, æquant ac reſoluunt, proindeq́; dolorem ſedant, & propriè anodyna dicuntur, vt prius docuimus. Conſtat autem hæc medicamenta, aut temperata, aut temperatis paulo eſſe calidiora. Mitigato verò dolore, ad affectus curationem procedendum eſt. Curatur affectus vacuata, quæ in ſpatium collecta eſt, materia. Quoniam autẽ ea varia eſt, vt modo dicebamus, ideo non eadem ratione omnes vacuătur. Nam ſi in ſinu minimè profundo tenuis & pauca materia reſoluiq́; idonea contineatur, cutisq́; rara ſit, digerentibus molienda curatio eſt. Sin ob humoris craſsitudinem aut copiam, cutis denſitatem, & abſceſſus altitudinem digeri non poſsit, ad maturationem & ſuppurationem tranſeũdum eſt: vti in inflămationibus maximè, quæ in abſceſſum iam verſæ ſunt. In quibus verò abſceſsibus nulla ob craſsitudinem nec digeſtionis, nec maturationis ſpes relicta eſt, vt in ſteatomatis, vno præſidio vtimur, nempe exciſione: quemadmodum & in aliјs, quibus pus ac alia materia digeri non poteſt. Nonnulli enim abſceſſus ſolam manus curationem efflagitant, in quibus materia propter craſsitudinem nec digeri

geri

geri, nec putreſcere poteſt. Quidam verò tam ſectionem, quàm maturationem admittunt, vt in quibus humor maturari quidem poteſt. ſed ob craßitudinem, aut lentorem digeri non poteſt: cuiuſmodi eſt atheroma. Alij triplicem curationem, nempe digeſtionem, maturationem, & ſectionem recipiunt: quales ſunt qui ex tenuiori conſtant humore, ſed non, vt totus digeri poßit. Igitur vbi inflammatio (nam de hac præcipua noſtra eſt diſputatio) in pus conuertitur, doloremq; inuehit, aqua dulci calida liberaliter fouenda eſt, ac oleo dulci perfundenda, vt dolor mitigetur. Aqua enim potentia refrigerando inflãmationis vehementiã extinguit, actu calfaciendo materiam calidã digerit. Oleum verò humectat, emollit, relaxat quod diſtentum erat. vtrunq; remedium, vtpote calidum, impoſitum rarefacit, digerit, æquabilem reddit humorem, atq; ſuæ lenis ac dulcis ſubſtantiæ miſtura acrimoniam mitigat: tribus igitur his nominibus, nempe refrigerando tam per ſe quàm per accidens, relaxando, & ſua miſtura temperãdo, dolorem lenit. Poſteaquam ſedatus eſt dolor, imponendum eſt cataplaſma ex triticea farina in aqua & oleo mediocriter cocta. Vbi enim nulla digerendi humoris ſpes eſt, cæterum maturandi eſt, ad ea quæ pus mouendi facultatem habent, tranſire oportet. Pus mouent quæ natiuam humiditatem, nec augent, nec minuunt: caloris vero

ſubſtantiā non ſolum ſeruant,ſed & augēt. Igitur hæc medicamenta noſtro calori ſimilia eſſe debent,atq; emplaſtica,ne ſuperuacanea caliditate ac ſiccitate diſsipent,frigiditate & humiditate coctionem impediant,ſed ſuo lentore corporis meatus obſtruendo natiui caloris diſsipationem prohibeant. Nam in coquendo humore plurimum ſpiritus intus ſeruari oportet. Eiuſmodi autem eſt cataplaſma, quod ex farina triticea in aqua & oleo mediocriter cocta conſtant. Hæc enim farina lentoris quidpiam habet, proindeq; emplaſtica vi prædita eſt: quemadmodum & oleum. quoniam autem hæc farina noſtrum calorem excedit,in aqua coquitur, vt eius calor noſtro æquetur. Oleum verò præterquàm quòd temperatum eſt ac emplaſticum,efficit, vt medicamenti vires diutius inhæreant. commodè igitur eiuſmodi cataplaſma,vbi pus mouere conſilium eſt,imponitur. Celerius enim ad ſuppurationem ducit,quàm quod ex pane conficitur. hoc enim maxime digerit, vt quod ſalem & fermentum recipiat, exacteq; ſit coctum. Nihil verò obtinet horum,quod ex triticea farina fit. Conſtat enim panem, in quo quidem ſal ſit adiectus ac fermentum,calidiorem noſtro temperamento eſſe,extergendiq; ac digerendi vim habere. Fermentum enim putris caloris eſt particeps, tenuitate partium pollens. Ideo ex profundo ſine moleſtia extrahit & digerit, Sal exiccat, & hu-

morem

morem abſumit redundantem. Quòd ſi modice coctus panis ſit, magis maturat, & minus digerit. Itaq; cum initio ſuppurationis, inflammationis curationem moliris, ſi ſperes hanc prohibere poſſe, panem oleo & aquæ permiſtum plurimum incoques: aquæ autē quàm olei, maior ſit portio. Speramus ſuppurationem prohiberi poſſe, ſi qui inflammationem producit humor, nec multus ſit, nec craſſus, nec lentus, proindeq; nec medicamentorum vim ſuperet. Hinc autem anteuertemus humorem, qui abſceſſum gignit, vacuãdo. quod commode fiet digerentibus, exiccantibus, humoremq́; depaſcentibus medicamentis. quale eſſe iam oſtendimus cataplaſma ex pane in oleo & aqua plurimum dococto. Farina item hordeacea eodem modo parata ſuppurationem magis impedit. Althææ autem radix in aqua cõcocta ſit, quæ in hac curandi ratione perfundatur. Hæc enim medicamenta, exiccandi, ac detergēdi vim obtinent, ideo & inflammationis diſcutiendæ. Si verò cutis partis inflammatæ, vehementer diſtenta ſit, hanc frequentibus plagis per ſumma ſcarificare oportebit: poſtea hordeaceam farinam modo declarato coctam imponere. Cutis diſtenditur in hoc affectu humorũ plenitudine inflammationem efficiēte, quæ quò maior fuerit, eò maiorem faciet diſtentionem, & quò ex tenacioribus ac craſſioribus, eò ægrius diſcutietur. Igitur vbi cognoueris medicamentis

hunc affectum reſolui non poſſe, & inflammationis ardor reſtinctus ſit, frequentibus plagis cutis ſcarificanda erit: tantis quidem, quantum ex vſu fore noueris. Inciſuræ enim aliæ paruæ & in ſuperficie tantum: aliæ magnæ ac profundæ: aliæ vero inter eas mediæ ſunt. Quæ autẽ in ſumma cute exiſtunt, parum ſanguinis vacuãt. Altæ vero ac magnæ plurimum ſanguinis fundunt: ita vt ſæpe animi deliquiũ adferant. Quæ autem in harum medio conſiſtunt, citra noxam plurimum vtilitatis adferunt. Igitur vbi tumor ægrè ad ſuppurationem ducitur, ægreq; diſcutitur ob craßitudinem lentoremq; humoris, altis plagis vtendum eſt. Vbi vero humor minus craſſus eſt ac lentus, leuiter ac ſumma tantum cutis ſcarificanda eſt. at vbi humor inter eos medius eſt, mediocres inciſuræ proſunt. Qui igitur ex craßis viſcoſisq; humoribus fiunt tumores, altis, vt diximus, ſcarificationibus iuuãtur. iiſdem & ex vſu eſt cataplaſma ex caricarum dulciũ & pinguium decocto (tantiſper autem concoqui debent, dum diſtabeſcant caricæ) & ex hordeacea farina, vel ex pane cibario. Eiuſmodi decoctum (melitodes nonnulli, quòd mellis craßitudinem imitetur, vocant) digerendi vim obtinet, præſertim cum hordeacea farina miſtum, cuius vires modo expoſitæ ſunt: vel cum cibario pane, qui medius eſt inter exquiſitè purum & furfuraceum, quorum omnium virtutes ex ipſo Ga-

leno

leno petendæ ſunt. Vbi vero tumor minus quàm res exigit, diſcutitur, augenda vis medicamenti eſt, addito hyſſopo, origano, aut ſimilibus. Quòd ſi valentius ſit exiccandum, ſalem quoq; admiſcere licebit decocto, deinde hordeaceam farinam inſpergere, vt luculenter docet Galenus. Sed in his qui ægrè diſcutiuntur tumoribus, timendum eſt, ne reliquiæ in ſcirrum mutentur. Quod cum deprehenderis (deprehendes autem reſoluendo à parte affecta cataplaſma, atq; eius habitum præſentem cum præcedente conferendo) à vehementer exiccantibus ac digerentibus temperabimus ipſis emollientia miſcentes, ne in ſcirrhum tumor mutetur.

RVRSVS igitur ad ſuppurantes tumores veniamus: quos vbi digerere poſſe parum ſperaueris, cataplaſmatis ex triticea farina vtere. Nam ad celeritatem ſuppurationis plurimum confert. Deinde plaga facta, ſi liberæ omnino ſint ab inflammatione partes plagæ vicinæ, medicamentis quæ emplaſta dicuntur, obeunda curatio eſt. Ea autem citra morſum exiccent, ex hisq; temperentur, quæ minimè aſtringant, ſed aut ſolum blande digerant, aut leuiter aſtringant. In eiuſmodi autem affectibus medicamento quod ex fermento & crematis conchis temperatur, perſæpe vſus ſum. Quòd ſi pars aliqua circa plagã

inflammatione ſit obſeſſa, medicamẽtum quod ex chalcite conſtat, oleo liquatũ vbi ſenſim refrixerit, & in pila cõtemperatum, manibusq; ſubactum, & vino, vt noſti, perfuſum commode imponitur. Hoc autem in plurimis affectibus vtor: vt in libris de Compoſitione medicamentorum proditum eſt. Opus autem de affectibus partium corporis, ſi deo placet, conſcribemus: in quo medicamentorum omnium, quibus vti ſolemus, virtutes diligenter exponere atque idoneum vſum explicare conabimur. Sed tu iam horum medicamentorum, de quibus in hoc opere memini, miſcendorum ac temperandorũ rationem ex me didiciſti.

Vbi ob lentorem vel craſsitudinem humoris tumor reſolui non poteſt, ad maturantia & pus mouentia veniendum eſt: cuiuſmodi eſt cataplaſma ex triticea farina, vti prius docuimus: confecto autem iam pure & liberis ab inflammatione partibus, incidendus eſt tumor, vt quod digeri non potuit, pus facto emiſſario vacuetur. Deinde vlcus ad cicatricem ducendum eſt ſimiliter reliquis vlceribus: nempe cauitatem carne replendo, deinde glutinando, tandem cicatricem inducendo. Carne replent, quæ humiditatem ſiccant, & ſordem detergent, vt abunde Galenus libro tertio Methodi medendi docet. Quo-

niam autem is quo de agitur affectus admodum humidus eſt, & fluxioni ob ſectionem obnoxius, promptusq; iritari, ſiccantibus, digerentibus, ac detergentibus citra vllam moleſtiam eget: minime verò, aut ſaltem modice aſtringentibus. Nã ſi valenter exiccantia, digerentia, & detergentia adhibueris, fluxionem iritaueris. Si valde aſtringas, quæ vulneri iam hæret, ſordes firmius figetur, & quod ex vulnere effluere debet, reprimetur: nouaq; in partibus plagæ vicinis inflammatio gignetur. Itaq; emplaſtrum quod ex fermento & vſtarum concharum cinere conficitur, vtiliter adhibetur, vt quod citra vllam noxam exiccet, digerat, & detergat. Quòd ſi pars aliqua circa plagã inflammatione ſit obſeſſa, medicamentum quod ex chalcite conſtat, in oleo liquatum, vbi ſenſim refrixerit & in pila contemperatum, manibúsque ſubactum, & vino (vt noſti) perfuſum commode imponetur. Eiuſmodi emplaſtrum Galenus in opere de Compoſitione medicamentorum κατὰ γένη phenicnion vocat. Eius vires & miſcendi modus ex eodem libro petendus eſt. Hoc autem medicamento à multiplici, qua pollet, vtilitate, polychreſton dicitur. In cuius vſu vinum & oleum adduntur, non tam quòd ſua ſubſtantia proſint, quàm quòd emplaſtrum emolliant, alioqui ſua duritie dolorem vlceri adlaturum.

CVM vero cutis in ſuppurationibus

amplius extabuerit, ita vt attritis veſtium fragmẽtis ſimilis reddatur, haud facilè ſubiectis corporibus coaleſcit: itaque emiſſario largiore facto vlcus neceſſario curandum eſt.

Vbi longa ſuppuratione cutis ita computruit, vt laceris veſtium fragmentis ſimilis appareat, rhacodes Græcis dicitur, agglutinari facilè non poteſt: proinde hanc excidendo vlcus dilatare conueniet: tantum quidem, quantum partem putredo occupauit: deinde medicamenta, quæ ſine morſu exiccent ac digerant, qualia ſunt ex fermento & vſtarum concharum cinere nuper declarata, imponere: dilatari etiam poteſt exedenti medicamento, quod Græci ſepticum vocant. vbi in exẽplaribus Græcis habetur, ὥστ' ἀναγκαῖον εἶναι τῇ κεκλεισμένῃ καταπλάσματος ἀγωγῇ θεραπεύεσθαι τὸ ἕλκος. legendũ eſſe putamus κατὰ πλάτος. proinde, emiſſario largiore facto, vertimus, vt locus planè exigere videtur. Leonicenus verò, qui ſecundum locum nominatur, curationis modum vertit, niſi errore chalcographi, locum, pro latum, legatur.

At cum minus ſubiectæ carni coaleſcere cutis idonea eſt, eiuſmodi affectus ſinus appellatur, cuius curandi rationem, qua me ſæpe in multis vti vidiſti, deinceps memoriæ tuæ ſubiiciam. In hoc igitur affectu

fectu ſatius eſt fiſtulam aut æneã aut corneam recto ductu foratam ad manum eſſe: aut ſi huius facultas non ſit, aliquod inſtrumentum ex eorum genere, quæ, quoniam pus trahunt, pyulca vocantur, quod quidem latiſsimum habeat foramen, per quod medicamenti noſtri ex cõbuſta charta temperati exiguam portionem cum largo roſaceo miſtam in ſinus immittere ſæpe me vidiſti. Deinde eorum os concerpto linamento claudere. Emplaſtra verò roſaceo liquata ſi in hos iniicere têtes, pyulcum non permeant, ſed in his ſuillæ veſicæ lati foraminis fiſtula adiungenda eſt. Quæ verò liquantur medicamenta his quæ emmota dicuntur, acriora eſſe debent: qualia ſunt apud omnes in vſu, colore viridia. Hæc autem cum largo oleo liquare oportet, vt indi in ſinum poſsint. In hiſce autem miſturis emmotorum vis reſoluitur. Medicamenta igitur exquiſite emplaſta, quale eſt Macherionis, & Epigoni, & quod Iſis nuncupatur, cum in vſum emmotorum afferuntur, cerati admiſtione egent. Hæc enim in ſinibus opportuna ſunt. Nam ideo nunc ſunt cõmoda, quòd admiſtum habeant ceratũ. Miſcentur autem, quoniam ſi per ſe ſola ſine cerato liquarẽtur, viribus mordacia eſſent. Si roſaceum autem oleum multum ſit, quod

quod verò in oleo liquatur, medicamentũ paucum, nullam amplius acrimoniam retinet. Vbi vero ſinus mediocriter carne repletus eſt, aliquod ex glutinantibus medicamentis adhibere oportet, perinde ac ſi recens vulnus & cruentum curares. Multa autem eiuſmodi medicamenta inueniuntur. Alia quidem ex bitumine confecta, vocanturq́; neſcio qua ratione emplaſtra barbara. Alia verò quia fului & fuſci ſunt coloris, Cirrha & Phæa nominantur, ex argenti ſpuma & ærugine liberalius decocta. Ad hunc enim modum ærugo fulueſcit: quæ ſi pauxillum concoquatur: lutea, vt vocant, reddit emplaſtra. Minime verò te latet metallica omnia medicamenta maiori partium tenuitate, ac ſiccandi vi pollere, ſi pluſculum incoquantur. Fulua verò medicamenta ſimul atque repoſita fuerint, & recondita, fuſcam quandam cruſtam foris contrahunt, ſub qua in profundo medicamentum fuluius quàm ab initio eſſet, conſpicitur. proinde nonnulli Dichroma, alij Diproſopa, quaſi bicolora ac biformia, eiuſmodi emplaſtra vocant. Quò autem maiori partium tenuitate & ſiccandi facultate prædita fuerint, eò efficacius in ſinus iniiciuntur. Horum enim vis in altum ferri debet, ſi propoſitum ſcopum aſſequi velimus

limus

limus. Quæ verò recentia & cruenta vulnera glutinant, tametſi his minus deſiccãt, labra tamen vulnerum, ſi quidem parua ſunt, minimeq́; profunda, glutinant. Quocirca facilius ac celerius quod agendũ eſt, perficiunt. Quòd ſi recens vulnus profundum ſit, ſuturis ac fibulis ipſius oras cõmittere ſolemus.

Cum tarde ſuppurans affectus ſecatur, pus longo ſpatio cuniculos molitur, qui glutinationẽ difficiliorem reddunt. Hunc autem affectum ſinum appellant: qui cum humidus admodum ſit, valenter exiccantia poſtulat: quale eſt Galeni medicamentum, quod ex combuſta charta componitur. Ad hunc autem modum temperatur: Squammæ, gallæ, myrrhæ, ſingulorum pondo denarium octo: ſandarachæ, arſenici, elaterij, ſingulorum pondo denarium quatuor: thuris pondo denarium trium: atramenti ſutorij tantundem: chartæ quantum ſatis eſt ad inducendum colorem. Igitur exiguæ eius portioni largum roſaceum miſceri debet, quo & eius vehementia remittatur, & per anguſtũ foramen in ſinus profundum inijci poſſit. niſi enim dilueretur, per pyulcum tranſmitti non poſſet. Cum autem emplaſtra in oleo liquata infundere volumus, non pyulco, ſed lati foraminis fiſtula veſicæ ſuillæ inſita vtimur. Iniecto medicamento, vlceris os linamento concerpto claudimus, ne id refluat, niſi enim

enim diutius maneat, exiccare non poterit. Emmota medicamenta ſunt, quæ linamentis vel linteolis excipiuntur, ſubſtantia humida. Emplaſtra verò dura ſunt, & emmotis acriora, quibus cum cerato miſtis emmotorum modo in hiſce affectibus vtimur. Ceratum enim illorum acrimoniam tẽperat. Si verò & roſacei copia cum emplaſtri exigua portione miſceatur, omnem acrimoniam exuet. Emplaſtra autem quibus in ſinibus vtimur ſunt, quæ ad Macherionẽ & Epigonũ referũtur, quæq; à viridi colore chlora appellantur: quorũ miſturas & vires Galenus libro ſecundo de Compoſitione medicamentorum κατὰ γένη docet. Vbi verò ſinus carne mediocriter repletus eſt, aliquod ex glutinantibus medicamentis perinde applicabis, ac ſi recens vulnus ac cruentum curares. Glutinantia ſubſtantiam in idem cogunt. non detergunt, ſed ſiccant tantiſper dum humoris redundantiam, qui ſecundum naturam eſt, abſumant. Igitur vbi mediocriter carne repletus eſt ſinus, aliquod ex glutinantibus medicamentis non vehementer ſiccantibus adhibendum eſt, quod creſcentem tenellam carnem blande & ſine morſu cogat, non aliter ac ſi recens ac cruentum vulnus curaretur. Curatur autem hoc mollibus, blandis, minimeq; dolorem excitantibus medicamentis: qualia ſunt enhæma. vocantur autem emplaſtra Barbara, Cirrha, & Phæa: quorum miſturas Galenus, Paulus,

lus, & Celſus docent. Metallica verò quò plus incoquuntur, eò maiori partiū tenuitate & ſiccandi facultate pollent: proinde efficacius in ſinus inijciuntur. Nam profundius ferūtur, quod in curandis ſinibus neceſſarium eſt.

ITAQVE non omnis ſinus ſimplex diuiſio eſt, ſed frequenter alia atq; alia parte laceratus eſt. quod te latere non debet. Cum igitur ſurſum tendit, facile per eius os ſanies effluit. Cum verò deorſum vergit, intus retenta contiguas partes erodit. In quo quidem ſinu, niſi prius facto ad effluxionem vulnere, nihil profeceris, ſiue carnem generare, ſiue glutinare velis. In alio verò inciſione nihil erit opus: modo ſitum commodum affectæ parti ſerues: quo quidē ſinus qui ſurſum vergit, vt deorſum declinet: & qui deorſum declinat, ſurſum vergat, efficere poſsis. Vidiſti quidem aliquando me, ſinum in cubito, cuius os prope flexum erat, & ſitus ſurſum ſpectabat, citra vllam ex aduerſo plagam perſanaſſe. Et in coxa itidem ſinum deorſum vergentem & ad genu terminatum, cuius os ſublime ſupra femoris medium eſſet, ſine vlla ex aduerſa parte diuiſione, ad ſanitatem perduxiſſe, ſubſtrato popliti molli puluino, quò demiſsius inguē quàm genu

genu eſſet. Huius porrò ſinus atq; aliorum maiorum quamlibet profunditatem ad cõglutinationẽ aptam ſola reddere poteſt infuſa mulſa. Sunt qui etiam lixiuiũ iufundãt, ſuam ipſorum inſcitiam, ex his quæ prius ad carnem in ſinu generandam medicamentis iniiciebant, prodentes. Noua enim caro priori adnaſci non poteſt, ſi ſordes locũ obſederit. Quo modo igitur abunde repleto carne ſinu, glutinans adhibent medicamentum, ſi tanquam vehementer ſordidum lixiuio detergere tentent, cũ pura caro ne mulſam quidem acrem ferre poſsit? Huic enim ſatis facit ea, quæ bibi iucunde poſsit: poſt cuius vſum, ſinum deinceps nunc quidem puro vino, nunc verò mulſo antè glutinantis medicamenti impoſitionem eluere conſueui. Itaque ad detergendam expurgandamque eius ſaniem vtilior mulſa: ad glutinandum verò præſtantius vinum eſt. Id autem medium ſit inter dulce & aſtringens. Quinetiam poſt glutinantis medicamenti impoſitionem ſola ſpongia noua ex mulſo circumponatur, quàm fieri poteſt molliſsima: & colligatio à ſinus profundo quidem incipiat, & eius ore finiat. Faſciarum verò ſpiræ ſinus profundũ ſine dolore arctent, ac paulatim vſq; ad os elaxentur, eidemque indatur medicamentum

tum molle, circunducto forinſecus emplaſtro ad os ſinus forficibus diſciſſo, vt ſanies aliqua efluere poſsit. Efluet autem è ſinu, ſuperpoſito aliquo alio paruo emplaſtro ad ſolutionem vſque, quam tertio quoque die faciens hoc ipſum tanquam operculum circumpoſitũ auferes, relicto, quod totum ambit ſinum, medicamento. An verò altæ ſinus partes coaluerint, ex manante ſanie depræhendes, ſi ea multa vel pauca, cocta vel cruda ſit. præterea ſi neque in ipſo ſinu dolor ſentiatur, nec tumor appareat, ſed totus locus æquabilis ſit, ſiccus ac doloris expers. Quòd ſi puris probe cocti portio exigua in ore conſpiciatur, multo magis de glutinando ſinu ſperandum eſt. Cumq́ue ſpongiam rurſus impoſueris, rurſusq́ue, vt diximus, adalligaueris, poſtero vel tertio die ſoluito, vt dictum eſt, ſemper linteolum ſinus ori admotum permutans: quod eodem empláſtro illitum, totum os ambitu cingat. neque verò omnino oppreſſum eſſe debet, ſed ita, vt per id tota ſanies vacuari poſsit. Itaque ſi primo vel ſecundo die tenuis quædam ſanies ex ſinu manet, non eſt omnino de glutinatione deſperandum. Sæpe enim vis medicamenti affectæ particulæ admoti ex ipſa cute & ſubiecta carne tenuem humiditatem vehe-

menter exprimit, quoties eius qui curatur corpus ita affectum eſt ſiue ex natiua temperie, ſiue mala victus ratione. Hac humiditate expreſſa loca mediocriter reſiccata glutinantur. Quod ſi tertio aut quarto ab initio die ſanies cruda in ore appa- ruerit, ſcito ſinum non eſſe glutinatum. In primis autem medicamentum, quod affecto loco circumponitur, vehementer quidem exiccet, ſed nec mordeat, nec contrahat cutem. cuiuſmodi noſtrum eſt, quod à fuluo colore Cirrhum dicitur, ex concoctis metallicis pharmacis & oleo ricinino & aceto ſine cera confectum. Idem & cruenta vulnera citra moleſtiam glutinat, & ſinus exiccat. Hoc autem medicamento fiſtulam anguſti oris, in qua nondum callus intus, ſed ſola ſordes apparuerat, perſanatam vidiſti, infuſo primum lixiuio, quòd in ea tantiſper continui, dum ſordem omnem integrè exterſam eſſe conieciſſem. poſtea medicamentum impoſui. Ad hunc autem modum ſinus, qui ſub ſola cute erant, nec carnis generationem requirerent, inſcite vero à quibuſdam curarentur, ſimul atque curandos ſuſcepi, hoc medicamento glutinaui, lixiuio prius ablutos, cum qui vlcera curarent, nullum ex his quæ expurgandi vim habent, medicamentum adhibe

hiberent.

Cum ſinus multæ ſint differentiæ, nimirum ex cauernarum numero, magnitudine, ſitu, & figura deſumptæ: aut enim ſimplices ſunt, aut duplices, triplicésve: breues, aut altè penetrãtes: iuxta carnem deſinentes, aut ad oſſa vel cartilaginem ſubeuntes: ſurſum, deorſum, vel ad latus tẽdentes: recti, aut tortuoſi, vel flexuoſi: Galenus tantum de his, qui à poſitionis figura ſumuntur, meminit: vt qui præcipuè curationem varient. Siue enim ſimplex, ſiue duplex ſit: aut magnus, ſiue paruus: aut breuis, ſiue altus, eadem ſemper eſt eorum curandi ratio, ſolumq́; in ratione maioris & minoris differũt. At ſi vel ſurſum vel deorſum, vel ad latus, vel intrò ad oſſa tendit, curationẽ variat. Cũ enim ſurſum tẽdit, facilè per eius os ſanies effluit. Cum verò deorſum vergit, intus retenta contiguas partes erodit. Quare niſi facto ex aduerſo emiſſario, nihil profeceris, ſiue carnem generare, ſiue glutinare velis: moliri enim humoris effluxum oportet: quod fit vel vulnere tantum in imo facto, vel tota cauitate diſſecta. In imo fit ſectio, ſi vlcus magnum fuerit, & locus totus ſine periculo ſecari non poſſit. Cũ verò ad latus declinat, aut deorſum vergit, aut intrò fertur, ſed ita locari pars afflicta poteſt, vt libere ſanies è ſinu effluere queat, inciſione ex aduerſo facta opus non eſt. Nam eiuſmodi ſinus atque aliorum maiorum totam profunditatem ad

glutinationem aptam reddere poteſt iniecta mulſa. Vbi vero ſinus aut poſitionis aut alia occaſione ſordidior aut humidior eſt, medicamēta quæ valentius deſiccent ac detergant, expoſcit: quale eſt medicamentum Galeni ex combuſta charta largo oleo reſolutum, de quo paulo antè meminimus. vbi vero rite detergendi & deſiccandi ratione exhibita, carnis iam mediocriter in ſinu regenitæ coniectura eſt, eluendum eſt vino vel puro, vel mulſo. Hoc quidem vtemur, cum adhuc aliqua leuis cuiuſdam ſordis relictæ ſuſpicio erit. Puro verò ſubaſtringente, vbi carnem omnino puram eſſe coniecerimus. Vinum enim leniter glutinat. Deinde glutinans medicamentum in ſinum indendum eſt, vti antè diximus. Poſt glutinantis medicamenti impoſitionem noua ſpongia ex mulſo circumponenda eſt, quàm fieri poteſt, molliſſima. Spongia circundatur vt exiccet, manantemq; è ſinu ſaniem excipiat, alioqui partem eroſuram, aut pruritum excitaturam. Imbuta autem mulſo ſpongia ſit, vt detergat: mollis, ne aſperitate lædat: noua verò, vt aqua marina adhuc imbuta partem affectam deſiccet. Eius deligatura à ſinus fundo incipiat, & ore ſinus finiat. Faſciarū verò circumplexus ſinus profundum ſine dolore arctent, ac paulatim vſq; ad eius os laxētur. Arctius profundū ſtringitur, vt adſcititiam partis afflictæ humiditatem exprimat, & in os laxius deligatum minuſq;

nuſq; compreſſum trāſmittat, defluxionem à ſupernis partibus prohibeat, cogátque partes quæ glutinari debent, ſed tamen ſine dolore, ne inflāmationem accerſat. Quod ſi intrò ſinus tendat, premi duabus ferulis vtrinq; impoſitis & faſcijs deligari debet, vt per vlceris os ſanies exprimatur. Ori ſinus medicamentum molle indatur circumducto forinſecus emplaſtro, ad os ſinus forficibus diſciſſo, vt ſanies aliqua effluere poſſit. Effluet autem è ſinu ſuperpoſito aliquo alio paruo emplaſtro ad ſolutionem vſq;, quam tertio quoque die faciens hoc ipſum tanquam operculum circumpoſitum auferes, relicto, quod totum ambit ſinum, medicamento. Græcum exemplar Aldinum legit, καὶ τοῦτο δ' αὐτὸ χαλαρὰν ἐπίδοσιν ἐχέτω τοῦ φαρμάκου. Aliud à Nicolao Blaſto excuſum, χαλαροῦ ἐπίδοσιν ἐχέτω τοῦ φαρμάκου. Quoddā verò manu ſcriptum, χαλαρὰν ἐπίδεσιν ἐχέτω τοῦ φαρμάκου. quam lectionem. Leonicenus ſequutus eſſe videretur, niſi dictionem φαρμάκου omiſiſſet. Eius enim verſio habet ad hunc modum: Et hoc ipſum habeat laxam alligationem. nullam de pharmacho mentionem faciens: quemadmodū nec Aëtius, cuius verba ſecundum Ioannis Baptiſtæ Montani tralationē ita habent: Tandē in ipſo vlceris ore laxius connectantur. Ex quo conſtat eos legiſſe χαλαρὰν ἐπίδεσιν ſine dictionis φαρμάκου adiectione, aut eam prætermiſiſſe. Nos verò Blaſti lectionem

ſequuti vertimus: Atq; eodem molle medicamẽtum indatur. Nam quod cum linamento imponitur medicamentum, facultate ſiccum ſubſtantia verò molle eſſe debet. Vlcus enim cum humidum ſit, deſiccari poſtulat: ſed cum dolore facilè afficiatur, durum reſpuit. Ideo & medicamentum & ſpongia, de qua paulo antè verba feci, mollia ſint, oportet. Diſſecandum verò eſt forficibus emplaſtrum, vt per inciſuras ſanies effluere poßit, ſi qua faſciarum arctatione ex alto exprimitur. ſuper has inciſuras aliud ex eodem medicamento ſuperponitur, ne immiſſum glutinans medicamentum refluat. Cæterum non ita priori emplaſtro apprimatur, ſed laxius relinquatur, vt per ipſum tenuis ſanies effluere poßit. Tertio autẽ quoq; die aut certe citius vel tardius prout res efflagitabit, demenda ſpongia eſt, ac paruum emplaſtrum, vt ſi qua humoris colluuies in ore ſinus collecta ſit, vacuemus, exploremusq́;, an altæ ſinus partes coaluerint, an minimè: quòd ex manante ſanie deprahendetur, ſi ea multa vel pauca, cocta vel cruda ſit. Præterea ſi neque in ipſo ſinu dolor ſentiatur, nec tumor appareat, ſed locus totus æquabilis ſit, ſiccus ac doloris expers. quòd ſi puris probe cocti portio exigua in ore cõſpiciatur, multo magis de glutinando vlcere ſperandum eſt. Cumq; rurſus ſpongiam impoſueris, rurſusq́;, vt diximus, adalligaueris, ſecundo vel tertio quoq; die ſoluito, vt dictum eſt, ſemper lin-

tum ori ſinus admotum permutans, quod eodem emplaſtro illitum totum os ambitu cingat, neq; verò omnino appreſſum eſſe debet, ſed ita vt per id tota ſanies vacuari poſſit. Cum ſecundo vel tertio quoq; die, vt diximus, ſpongia vel paruum emplaſtrum eximitur, conſyderandum, multáne, an pauca: cruda, an cocta materia ad os vlceris effluxerit. Deinde expérsne ſit, an particeps doloris locus affectus, & an tumor remanſerit, an diminutus ſit. Altas enim ſinus partes coiſſe teſtatur pus coctum ac paucum, præcipuéque ſi dolor & tumor non adſint. Contrà, multum & crudum, & cum fœtore, & loci humiditate, dolore & tumore, nondum coaluiſſe ſignificant. Temperata enim caro ad glutinanda vlcera eſſe debet, nihilq; intereſſe, quod vlceris orarũ coitionem impediat. Cum igitur humoris copia, eiusq; vel crudi vel male olẽtis effluit, dolorq; ac tumor locum occupat, temperata caro eſſe non poteſt. ergo neq; glutinari idonea eſt. Contrà, ſi neque doleat, neq; tumor ſuperſit, & quod manat, paucum ac coctum in ſinus ore conſpiciatur, locum affectum vacare ſuperuacaneo humore, omniq; intemperie, nihilque relictum eſſe, quod orarum coniunctionem prohibeat, conijciendum eſt. Neque verò ſi primo vel ſecundo die tenuis quædam ſanies ex ſinu manet, de glutinatione omnino deſperandum eſt. Sæpe enim vis medicamenti affectæ particulæ admoti ex ipſa cute

& ſubiecta carne tenuem humiditatem vehementer exprimit. Glutinans medicamentum, quemadmodum antè proditum eſt, tantiſper ſiccat ac ſtringit, dum redundantiam humoris exprimat, eam etiam, quæ ſecundum naturam eſt. Si igitur admoto hoc medicamento effluat ſanies, veriſimile eſt hanc exprimi, non autem ſpõte per corporis imbecillitatem manare, præſertim ſi neq; dolor affligat, neq; tumor adſit, neque tetrum odorem alienámque qualitatem habeat. Quòd ſi tertio aut quarto ab initio die ſanies cruda in ore apparuerit, ſcito ſinum non eſſe glutinatum. Quare affecto loco medicamentum, quod vehementer quidem exiccet, ſed nec mordeat, nec contendat contrahát ve cutem, circumponendum eſt. Cuiuſmodi Galeni medicamentum eſt, quod à fuluo colore cirrhum dicitur, ex concoctis metallicis, oleo ricinino, & aceto ſine cera confectum. Huius compoſitionem & vſum docet Galenus libro ſecundo de Compoſitione medicamẽtorum κατὰ γένη: exiccat enim vehementer (vt idem autor ſcribit) ſine morſu. Ideo cruenta vulnera citra moleſtiam glutinat, ſinus exiccat, & fiſtulam anguſtioris, in qua nõdum callus, ſed ſordes apparuerit, ſanat, immiſſo prius lixiuio: quod in ea tantiſper contineatur, dum ſordes ſit deterſa, deinde medicamentum imponi debet. Ex abſceſsibus fiſtula naſcitur. Eſt enim vlcus altum, anguſtum & calloſum,

interd

interdum etiam & ſine callo: de quo nunc Galenus meminit. cuius curandi ratio hæc eſt: In primis quia ſordidum eſt, lixiuium immittatur, tātiſperq; ſinatur, dum repurgata fiſtula ſit. deinde medicamentum quod exiccet, indatur: cuiuſmodi eſt de quo agitur medicamentum. Si verò calloſum ſit vlcus, haud ita facile curationem admittet, præſertim ſi ad oſſa vſque perueniat. Non enim antè curatio ſperanda eſt, quàm callus exemptus ſit. Eximitur autem aut ſcapello, aut medicamēto. Expeditius quidem in ore vlceris exciditur. Intus medicamento exeditur. Exeſt autem, vt Paulus libro quarto ſcribit, ſpondilij radix deraſa & in fiſtulam indita, & id genus alia tum ſimplicia, tum compoſita medicamenta ab eodem autore eodem in loco deſcripta.

CVM verò tumores qui in abſceſſum vertuntur, tarde inciduntur, aut medici imperitia, aut eorum qui curantur timiditate, ſectionem non admittentium, ſed diutius protelando cutem ab eiuſmodi pure, erodi ſuſtinentium: hanc vniuerſam à congeſto in abſceſſu pure, attriti pāniculi in modum vehementer attenuari ſæpe contingit. vnde à medicis rhacodem appellari exiſtimo. Eiuſmodi igitur cutis ægrè coaleſcit, maxime ſi ſubſtantia aridum medicamētum impo-

natur, vt à quo cutis tenuior ſicciorque in modum rhenonis attriti reddatur. Itaque mihi commodum eſſe videtur, ſi quis ad eius conglutinationem medicamento ſubſtantia humido, facultate verò ſicco vtatur. Diximus autem in libris de Medicamentis medicos ſolére medicamenta facultate ſicca appellare, quæ exiccare ſuapte natura idonea ſint. omnium autem quæ ſubſtantia ſunt humida, facultate verò ſicca, optimum eſt, quod à me ex argenti ſpuma, adipe ſuillo vetere, & chalcite contemperatum eſt: quibus vetuſtiſsimum oleum admiſtum ſit. Eius autem vim in hiſce affectibus efficaciorē eſſe ſum expertus, cum neque omnino durum eſſet, neque planè manus inquinaret. Sed & ſi ad eundē modum temperetur, cruenta quoque vulnera glutinabit, omniaque vlcera ad cicatricem ducet, oleo reſolutum, poſtea cũ vino mediocriter vetere miſtum, atque his affectibus circũpoſitum ſine moleſtia ſæpe glutinauit. Confert autem, vt diximus, vbi cutis pellis attritæ modo tenuata eſt, mel, maxime ſi ad emplaſtri craſſamentum coctũ ſit. Eius verò coctionis temperamentum recte aſſequi, niſi animaduertas, difficile eſt. Ipſum enim neque adeo durum eſſe debet vt ægrè decidat, neq; adeo liquidum vt diffluat.

Durum

Durum enim eadem adfert incommoda, quæ dura emplaſtra. Liquidum verò tanquam calido corpori admotum vndiquaque effluit, aridúmque linteolum relinquit. quod non ſolum non iuuat, ſed & glutinandæ cuti officit. Mediocriter autem coctum mel eiuſmodi ſinibus commodiſsimum remedium eſt. Quoniam autem eius concoctionis mediocritas facilè coniici non poteſt, ſatius mihi videtur myrrhæ pollinem, vel aloës, vel thuris, vel eorum aliquem, vel ſimul omnes inſpergere: maxime, ſi quod linteolo inductum eſt, liquidius appareat. Hos autem per cribrum inſpergere oportet, quod ſupra mel teneatur ſublime. Satis enim fuerit ſemel aut iterum cribrum agitare, vt pollen mediocris excutiatur. Aliquando verò & inter coquendum aliquod ex antè dictis medicamentis melli inſpergo, maxime ſi ſinus & maior, & altior ſit. Tenue autem centaurium in hunc vſum mirabile eſſe remedium ſum expertus, deinde ſymphytum, poſtea iris illyricæ radicem, ad hæc eruinam farinam. Neque verò dubium eſt, quin hæc contundi & tenui cribro excerni, poſtea tenuiter conteri debeant. Melli verò dum ab igni tollendum eſt, inſpergantur tantiſper nobis cunctantibus, dum probe

probe cum illo præcocto vniãtur. Satius autem fuerit exempto ab igni cacabo, omnia hæc inſpergere, deinde curioſe mouere, dũ mel ita tepidum reddatur, vt curando corpori imponi poſsit.

Manus artificis efflagitat abſceſſus, cum in pus verſus eſt. quod depræhendemus, ſi dolor, calor, aut febris, rubor, pulſatio, & alia inflammationis accidentia remiſſa ſunt, & tumor prementibus digitis cedat. quæ ſi ignorarit medicus, ſimul & incidendi tumoris tempus ignorarit. Si nouerit, ſed æger ſectionem formidet, proindeq́; hanc reſpuat, diutius cunctando cutis à pure ita erodetur, vt attritæ veſti ſimilis reddatur. vnde & ῥακώδους nomen meruit. Eiuſmodi ergo cutis ægre coaleſcit, maxime ſi medicamentum ſubſtantia ſiccum imponatur. Siccari abſceſſus deſiderat, ſed durum mdicamentum non ſuſtinet cutis iam attrita, vt à quo magis lædatur. Imponendum igitur medicamentum facultate ſiccum, ſed ſubſtantia liquidum. quale eſt Galeni emplaſtrum, quod ex chalcite conſtat, oleo vetere ita reſolutum. vt nec duritie lædat, nec mollitie diffluat. Eius miſtionẽ & vires docet Galenus libro primo de Compoſitione medicamentorum κατὰ γένη. Eadem vtilitate imponitur mel ad emplaſtri craſsitudinem coctum: ſed nec ita, craſſum, vt ægrè elabatur: nec ita liquidum,

vt

vt diffluat. Quoniam autem eius coquendi modus facilè haberi non poteſt, ſatius eſt huic inſpergere myrrhæ aloës, vel thuris pollinem, ſi linteolo inductum liquidius appareat. Hæc enim duplici nomine iuuant, tum quòd commodam craßitudinem efficiant, tum quòd ſine morſu deſiccent.

CONSEQVENS autem eſt, vt de his quæ in gangrænam tranſeunt, inflammationibus diſſeramus. Gangrænas autem, vt noſti, vocant, cum pars corporis aliqua ob inflammationis magnitudinem nondum emortua eſt, ſed adhuc emoritur. Nam cum pars omnino emortua eſt ita, vt ſi hanc pupugeris, vel ſecueris, vel exuſſeris, ea non ſentiat, quæ patitur, ad viuum vſque recidenda eſt. At quæ ſic quidem affecta eſt, nigreſcit. Quæ verò in medio conſtituta eſt, tenditque ad extinctionem, gangrænoſa vocatur. Curatur autem vacuato quàm fieri poteſt, plurimo ſanguine, in affecta parte impacto: cuius occaſione ipſa emoritur, ſcilicet arteriis ob loci anguſtiam ſeſe dilatare nequeuntibus, reliquo verò corpori perſpirationem ſuggerere. Cutis igitur vniuerſa vel multis profundiſque vulneribus vnà cum ſubiecta carne ſecanda eſt, vel frequentibus ac altis

ſca

ſcarificationibus incidenda.

Poſt magnas inflammationes aliquando ſequitur affectus, quem Græci necroſin, vel ſphacelon vocant, nos extinctionem & ſyderationem, vbi ſcilicet vita pars priuatur: vel quē nos ſimiliter illis gangrænam dicimus, cum pars nōdum mortua eſt, nec ſenſu priuata, ſed emoritur. ad extinctionemq; tendit. vtraque fit vel denegata parti vitali facultate, vel natiuo eius partis calore ac temperie pereunte. Denegatur facultas, ſi vehementer laqueo pars comprahendatur, aut ſi à ſede dimota ita viæ ſpiritus ſtringātur, vt is ad locum affectum peruenire nō poſsit, aut ſi alio quouis modo eædē viæ impediātur. Perit natiuus calor aut à frigido extinguēte, cuiuſmodi per gelu ambiens aër eſt, vel per medicamēta, vel venena frigida impoſita, aut à diſsipante calore, aut venenata materia, naturaq; tota ſubſtantia contraria partē corrumpēte, aut humorū multitudine velut ſuffocante, vt in magnis inflammationibus accidit, arterijs ob anguſtiā ſeſe attollere nequeuntibus. Gangræna igitur curatur vacuato quàm fieri poteſt, plurimo ſanguine, in affecta parte impacto, cuius occaſione ipſa emoritur. Nam cum hunc affectum ſanguinis copia generet, eius curandi ſcopus erit, vt celerrime vacuetur, exicceturq;. alioquin pars breui moritura eſt. Tota igitur cutis vel multis profundisq; vulneribus vna cum ſubiecta carne ſecanda

canda

canda eſt, vel frequentibus ac altis ſcarificationibus incidenda. Nam pro affectus magnitudine vel maximæ ſectiones fiunt, vel inciſuræ, vtræq; frequentes: illa, vbi putredini propinquius malum eſt: hæ, vbi tantũ putreſcere incipit. Conſtat enim maiore remedio opus eſſe quò vitium maius eſt. Itaq; altis plagis multuq; cutẽ ac totam ſubiectam ei carnem, ſi vitium ad oſſa perueniat, vulnerabimus, ſin minus, ſolis ſcarificationibus ac ſimplicibus inciſuris vtemur.

VBI verò manare ſanguinem permiſerimus, aliquod ex medicamentis quæ ad putria vlcera faciunt, imponi debet. cuiuſmodi eſt, quod ex mulſo aceto conſtat, & eruina, aut loliacea farina: vel ſi harum facultas non ſit, fabacea: atque ipſum per ſe acetum mulſum. Quo ſi vehementiore vti velis, adiiciendus ſal eſt, vel aliquis ex paſtillis curioſe tritus, qualis eſt Andronis, Polyidis & Paſionis. Quinetiam Muſæ medicamentum, quod in heræ tomo ſcriptum eſt, his commodiſsime imponitur. His autem, & aliis quæ antè cõmemorata ſunt, cõſiderato ægroti corpore vtendum eſt. Ruſtici enim cuius natura durum corpus ſit, vehementiſsima remedia efflagitat: mulieris verò molle, imbecilliora. Ad eundem modum virile corpus, quod quidem album ſit & molle, & balneis aſſuetum, & inexer-

cita

citatum, mollia expoſcit medicamina. Neque verò dubium eſt, quin & pueris hæc conueniant. Si verò aliquando putrem ac ſyderatam carnem excideris ſecuritatis gratia, modo dictis medicamentis vtêre, non neglecta tum corporum, tum affectæ partis natura: quædam enim partes promptiſſimè putreſcunt, easque tutius eſt, vbi quod computruit, reſecueris, vel amputaueris, tãquam radicem eius incolumi parti coniunctam, adurere: quemadmodum ſæpe in pudendis partibus facere conſueuimus: aliquando admoto quidem partibus affectis candente ferro: aliquando prius ſubmiſſo linamento. Poſt exuſtionem verò porri ſucco, vt noſti, aut ſi is non adſit, medicamentis paulo antè commemoratis vti conſueuimus.

Putredinem auferunt, quæ valenter ſiccant ac refrigerant, nonnihil etiam detergunt. Igitur acetum mulſum, & quæ ex eo & farinis modo declaratis & ſale conſtant, medicamenta commode hiſce vulneribus & ſcarificationibus imponuntur. Abſumunt enim ſaniem & putrilaginem ſua ſiccitate, eamq; detergunt: frigiditate verò quod nondum vitiatum eſt, à putredine arcent. Paſtilli autem dicti eadem vtilitate adhibentur. magna enim vi ſiccandi præditi ſunt, quorum componendorum rationem Galenus libro quin

bro quinto de Compoſitione medicamentorum κατὰ γένη docet. Cum verò emortua omnino pars eſt ita, vt læſionem non ſentiat, ſiue hanc pungas, ſiue ſeces ſiue exuras, ad viuum reſecanda eſt, ne pars ſyncera contagione lædatur. Nam quod computruit, veneni in modum, quicquid cõtingit, corrumpit, ſerpitq; in totum membrum, ac tandem enecat, niſi excidatur, reſecta verò putrida carne vel membro toto ſi oſſa hanc luem ſenſerint, inducenda cruſta eſt, quæ velut profluentibus vaſis ſit operculum. Cruſtam inducunt, tum medicamenta, tum ferrum ignitum. Medicamenta hac facultate prædita, aut ſolum calida ſunt, vt calx viua, aut ſimul aſtringunt. cuiuſmodi eſt chalcitis. chalcanthum, & id genus alia. valentiora quidem priora ſunt, ſed poſteriora commodiora. Nam cruſtæ quæ ab aſtringentibus fiunt tardius excidunt; quod in propoſito affectu fieri oportet, ne celerius reſolutis ſanguinis profluuium non ſine periculo ſequatur. Cruſtam igitur medicamento inducemus, vbi res haud ita vrget id eſt, nec magna ſanguinis profuſio nec putredo timetur, aut vbi æger ferrũ non ſuſtinet. Minus timentur hæc pericula in ſiccis, tum corporibus, tum partibus. in humidioribus verò, qualia verenda ſunt & ſedes, tutior eſt candentis ferri vſus. celeriter enim profluuium ſanguinis compeſcit. putredinémque arcet. Poſt exuſtionem vero, porri ſucco, vt noſti,

aut ſi is non adſit, medicamẽtis paulo antè commemoratis vti conſueuimus. Quoniam exuſta pars ob dolorem quem ex candente ferro & pronitatem ad putredinem quam ex demortua carne contraxit, fluxionem recipere ac putreſcere idonea eſt, ſiccantia medicamẽta efflagitat. Ideo *poſt exuſtionem porri ſuccus & ſuprà dicti paſtilli ſuper vulnus imponi debent: nam ſiccãt & ſtringunt putredinem, & fluxionem arcent.*

HIS autem peractis cum finem feciſſe putredo tibi viſa fuerit, vt cruſta citius excidat, medicamento quod cephalicum vocant, ex melle vtendum eſt. Cataplaſma autem quod ex pane in hydrelæo cocto, aut hordeacea farina eodem modo parata, aut cum ea admiſta triticea foris commodius imponitur. Quinetiam medicamentum, quod tetrapharmacum dicitur, præterea & macedonicum tum ad pus mouendũ, tum ad cruſtas reſoluẽdas idonea ſunt, quemadmodum & omnia quæ ad ſuppurationẽ perducunt. Panis verò cum apio aut ocimo intritus rũpit ac ſeparat cruſtas à ſanis partibus. Ex ſimplicibus autem, iris ex melle, vel radix panacis, aut ariſtolochiæ, aut acori. In mollibus autem corporibus abunde facit erui farina cum melle aut thure. Ad eundem modum cruſtas elidit Machærio-

nis medicamentum & Iſis emmota.

Cruſtam à ſubiectis corporibus diducũt, quæ emolliunt, detergunt ſine eroſione, & maturant. humectatæ enim ac remollitæ cruſtæ à ſubiecta parte ſponte ſeparantur. Quæ autem maturant, præter quàm quòd emolliunt, pus ſub cruſta conficiunt, quod eam reſoluit, ſcilicet inter carnem ſubiectam & cruſtam interiacẽs. Quæ verò detergunt, à ſubiecta carne reſoluunt. Detergunt autem Cephalicum, & Machærionis medicamentum, & Iſis: panis cum opio & ocimo, panacis, ariſtolochiæ, acori, & iris radix ex melle. Tetrapharmacum, verò, & macedonicum, panis, aut farina hordeacea, vel etiam triticea in hydrelæo cocta pus mouent ac emolliunt.

RESOLVTIS verò cruſtis vlcera eiuſmodi quibuſlibet idoneis medicamentis carne replẽtur.

Conſtat propoſitũ vlcus cauum eſſe, ideo glutinari non poſſe ſine carnis quæ perijt, reſtitutione. Quod fieri non poteſt, niſi pars temperata ſit, & ſanguis qui in eam affluit, tum quantitate, tum qualitate mediocris. Naturæ autem munus eſt, & probum ſanguinem conficere, & carnem generare. Verum quoniam duplex in carne generanda excrementum prouenit: alterum quidẽ craßius, alterum verò tenuius: vtrunq; autem carnis generationem impedit, opus eſt medica-

mentis quæ & ſordem detergant, & tenuem humiditatem exiccent, nec quibuſlibet quidem, ſed quæ mediocriter id præſtent. Nam quæ valentius ſiccant, non ſolum humoris redundantiam, ſed & affluentem probum ſanguinem ex quo caro generari debet, depaſcunt. Quæ verò vehemẽtius detergunt, non ſolum ſordem expurgant, ſed & carnem ipſam erodunt & exedunt. Itaq; medicamenta quæ generandæ carni ſunt dicata, in primo ordine, vt Galenus interpretatur, tũ ſiccare, tum detergere debent.

QVONIAM autẽ de his ſatis diximus, de cancroſis tumoribus deinceps eſt diſſerendum: qui cũ in omnibus corporis partibus fiunt, tum maxime in mulierũ mammis, quæcunque non amplius naturaliter purgãtur: quod cum opportune fit, integra ſanitate fruuntur. Omnes igitur huiuſmodi tumores præter naturam ex atræ bilis redundantia gignuntur. de qua re in commentariis de Virtutibus naturalibus diſputatum eſt. Vbi docuimus fæcis vini in modum hunc humorem, dum in iecore ſanguis conficitur, generari, repurgari verò à liene. Ab hoc enim humore hoc viſcus ali ſolet. Cum igitur natiua animantis temperies hunc humorem paucum generat, ad idq; confert victus ratio, & lien ad ſe quod gignitur, valenter trahit, nihil eiuſm

eiuſmodi recrementi in venis colligitur. Quòd ſi contraria adſint, multa in venis aceruantur, ex quibus, quæ docebimus, vitia cõtrahuntur. Contraria autem his, quæ diximus, intelligo iecur quidem, ad eiuſmodi excrementi procreationem pronum, victus autem rationẽ ex iis alimentis, quæ ſanguinem craſſum ac fæculentum generare idonea ſint: lienem verò natura imbecilliorem, vt qui ad ſe horum omnium excrementorum prouentum attrahere non poſsit. In tali autem corpore turbulentus craſſusq́; efficitur, qui in venis continetur ſanguis. Et nonnunquam venæ excernendi quod alienum eſt, facultate præditæ, quẽadmodum & omnes aliæ partes, hunc humorem per mariſcas effundunt: ſæpe verò ad varices demittunt: aliquando autem ad vniuerſam cutem. atque hæc quidem eſt affectus origo, quem elephanta vocant. Aliquando verò & in alias corporis partes, quæ quidem omnium maxime ſunt imbecillæ, eiuſmodi ſuccus fertur, atque in ea parte venæ luculenter cõſpiciuntur atro & craſſo ſanguine plenæ. Quò autem is craſsior ac nigrior fuerit, eò affectum parit deteriorem. In mammis verò tumorem ſæpe vidimus cancro animanti omnino ſimilem. Nam quemadmodũ ille ex vtraq;

corporis parte pedes, ſic & hic affectus venas præter naturam intumeſcentes exporrigit, effigiemq; cancro ſimilem reddit.

Bilis atra, vt ſuprà memorauimus, triplex eſt. prima ad modum fæcis vini in animantis corpore gignitur. Hæc dum probe repurgatur, nihil eius in venas præter naturam colligitur. Repurgatur autem à liene hanc ex iecore attrahente, aut natura per hæmorrhoidas vel locos muliebres naturaliter propellente. Cum igitur natiua animantis temperies hunc humorem paucum generat, ad idq; confert victus ratio, & lien ad ſe quod gignitur, valenter trahit, nihil eiuſcemodi recrementi in venis colligitur. Contra verò plurima congeruntur, ſi iecur ad eiuſmodi excrementi procreationem ſit pronum, victus ratio craſſum fæculentumq; ſanguinem gignat, lien imbecillius attrahat, ſuppreſſæq; ſint mariſcæ, aut in mulieribus menſes. Secunda ab hac fit, vbi amplius in aliquo loco calida efferbuerit, aut putruerit, aut alio quouis modo incaluerit. atque hæc longe malignior eſt, quàm prima: tantò quidem, quantò calidior fuerit, maioremq; acrimoniam contraxerit. Tertia verò ex bile retorrida ortum habet, præſertim vitellina, quæ calfacta non minus, quàm hæc, eſt malefica. Ex primo genere naſcuntur cancri, minime quidem vlcerati, quos & latentes vocant, ſi nondum acrimoniam

contraxit, differentē pro humoris conditione curationem habentes. Nam vbi niger & craſſus ſanguis apparet, non ſine chirurgia: vbi vero nō admodum craſſus videtur, ſine hac curationem recipit. Vlcerati autem cancri ab atro humore fiunt, qui iam leuem quandā acrimoniam contraxerit, nondum tamen tantam, vt iam maleficus ſit. Nam ex hoc naſcuntur carbūculi, de quibus antè diſceptauimus. Igitur cancer occupat cum reliquas corporis partes, tum maxime laxas cuiuſmodi ſunt nares, labra, mammæ fœminarum, & id genus aliæ natura fungoſæ & inanes, proindeq; humorem craſſum recipere idoneæ. Circa hoc malum venæ intumeſcūt, & expandūtur nō aliter, atq; cancri aquatilis pedes: vnde & cancri nomen hoc vitium adoptauit.

HVNC affectum, incipientem quidem ſæpe ſanauimus. Vbi verò in molem inſignem creuit, citra chirurgiam non curabis. Itaque vniuerſæ chirurgiæ tumorem præter naturam excidētis ſcopus eſt, vt eiuſmodi tumor qua ſanis partibus coniungitur, totus circuncidatur. Verum propter vaſorum magnitudinem, maximeq; arteriarum, ſtatim profuſionis ſanguinis periculum imminet, quas ſi laqueis intercipias, conſortij iure aliæ partes efficientur. Quòd ſi eius mali radices adurere in ani-

mo ſit, neq; in hoc paruum erit periculum, ſi iuxta principes partes exuſtio fiat. Sed eiuſmodi affectum recentem, vt diximus, ſæpe curauimus, maxime vbi melancholicus humor non admodum craſſus videbatur. Hic enim purgantibus medicamẽtis prompte cedit, vnde fit curatio. Certum autem eſt quòd quæ adhibentur medicamẽta, vim vacuãdi atri humoris habere debẽt. quod frequenter faciendum eſt, donec pars ad naturalem ſtatum omnino ſit reducta, victus etiam ratione obſeruata quæ probum humorem generet. Itaq; in Alexãdria plurimi elephantiaſi tum ob victus rationem, tum regionis caliditatem, laborãt. In Germania verò & Myſia rariſsime affectus is graſſari viſus eſt. Et apud lactipotas Scythas nunquam ferè apparet. Sed in Alexandria ob victus rationem frequenter generatur. veſcuntur enim pulte, lenticula, cochleis, multisq́ue ſalſamentis: nonnulli vero & aſinina carne, & id genus aliis craſſam ac atram bilem generantibus. Quemadmodum ſi ambiens aër calidus ſit, horum humorum impetus ad cutem fertur. Igitur huic affectui dictæ purgationes proſunt. Quòd ſi ætas & vires ſuaſerint, ſanguis prius mittendus eſt. Neque vero in cãcris, neque in his, niſi quid prohibeat, inutile eſt

venam ſecare, deinde purgare, atque ſi mulieres ſint, menſes ciere, ſi quidem quinquageſimum annum nondum attingant. In affecta autẽ parte ſolani ſuccus imponatur, hoc enim medicamentum eiuſmodi affectibus vtiliſsimũ eſt. Quòd ſi ægrotus tam liquidum medicamentum imponi nolit, præſertim cum domo exire, ſolitaque opera exercere cogitur, medicamentum ex põpholige imponendum eſt, quo & ad vlceratos cancros vti me vidiſti: quod ſi in promptu non ſit, noſtrum quod ex chalcite conſtat, eſt adhibendum. Quatenus verò ad victus rationem attinet, pleniore ptiſanæ cremore, ſero lactis, & ex oleribus malua, atriplice, blito, & cum per tempus licuerit, cucurbita vtendum eſt. Ex piſcibus vero ſaxatiles, aueſque omnes præter paluſtres, dare conuenit.

Cancer recens & qui ex humore minus inueterato conſtat, minuſq; tumentes venas exerit, curationẽ admittit. Nam medicamẽtis huiuſmodi humor cedit. Itaq; vacuãdus eſt, vt mox dicemus. Craſſus vero non cedit, ideo ſine chirurgia non curatur: quæ cum ſine ægrotantis periculo miniſtrari non poſsit, temere adhibenda non eſt. in eo curando ſcopus eſt, vt humor hoc vitium procreans vacuetur, deinde affecto loco reme-

diũ adhibeatur. A vacuatione igitur nos auſpicari oportet: primũ ſanguinẽ ducẽtes, quãtũ ipſa res efflagitat: deinde purgare, per initia quidem mitioribus, quale epithymũ eſt, vtẽtes: deinde vehemẽtioribus, paulatim vim eorũ augẽtes. Nam ſi per initia medicamẽtũ adhibeas, quod vehemẽter trahat, nõ ſequente atro craſſoq; humore, ſanguinẽ & carnes eliquabit, naturãq; iritabit. Sin mite ac blãdũ, nullũ naturæ negotiũ faceſſet, ſed leniter trahet. itaq; blãdis ac frequẽtibus purgationibus vti oportet, paulum, vt dixi, vim inaugendo tantiſper, dum reſtituta ſanitas ſit. Sic enim quod magna vi ſemel educi ſine incommodo non poteſt, ſenſim tutoq; vacuatur. Cæterum quibus ſuppreſſæ ſunt ſolitæ excretiones, prouocentur. Imperãda quoq; victus ratio eſt, quæ tenuis ſit boniq; ſucci. Quòd ſi ob iecoris caliditatem, & ſiccitatem craſſus in corpore ſanguis gignatur, cibis refrigerantibus & humectantibus eſt vtendum. loco autem dolenti imponenda remedia ſunt, quæ repellant & digerant, minime verò iritent. Repellentia imponenda ſunt & ante purgationem, & purgationis tempore: digerentia verò, vbi integrè corpus repurgatum eſt. vbi verò mediocritèr, miſtum ex digerentibus & reprimentibus. Quæ autem imponuntur, neque imbecilliora ſint, neq; valentiora. Hæc enim quod in venis tenuius eſt, digerunt ac repellũt: craßius vero nec euocant, nec reprimunt. Illa verò ni

rò ni

ro nihil efficiunt. Igitur ſi vehementioribus per initia vtaris, tumorem quidem minues, ſed quod relinquitur, reſolutioni contumax reddes. Quare mediocribus opus eſt, quæ nec ob imbecillitatem vincantur, nec propter vehementiam ſuccum craßiorem efficiant. Cæterum nec hæc mordeant, ne vitium iritent. itaq; eiuſmodi remedia viribus ſint mediocria, & qualitate minime mordacia, cuiuſmodi ſunt vſta elotáque metallica, item ſolani ſuccus, quo linteum duplicatum imbuitur, & loco affecto admouetur, ſuperq; mollis lana imponi debet, quæ eo ſucco ſubinde inſpergenda eſt, ne ſicceſcat. Plumbum item vſtum & elotum, & alia id genus, ex quibus temperantur medicamenta. ad hunc modum argenti ſpuma, & ceruſa in plumbea pila cum oleo roſaceo in ſole tantiſper teruntur, dum plumbi colorē, quod ex his fit vnguentum, nactum ſit. Aliud quod habet plumbi vſti & eloti, pompholygis, thuris, ſingulorum vncias quinque, abſinthij vnciam vnam, olei roſacei ſelibram, ceræ ſeſcunciā, ſucci ſolani quod ſatis ſit, ad vnguenti craßitudinem. Alia id genus ſexcenta à Galeno, Paulo, & Celſo ad hunc vſum conſcripta ſunt. Si autem chirurgiam affectus poſtulat, à vacuatione, vt dictum eſt, curationem auſpicabuntur. deinde totum quod vitiatum eſt, prorſus excidemus ſic, vt nulla ſuperſit radix, patiemurq; ſanguinē effluere, ac preßis vicinis partibus craſſum ſanguin

guin

guinem effluere, ac preſsis vicinis partibus craſſum ſanguinem exprimemus. Poſtea alijs vlceribus ſimiliter curabimus, vt docet Galenus. Quòd ſi periculum ex chirurgia timeamus, nec curari affectus aliter poſsit, ſat fecerimus, ſi hũc augeri prohibeamus his, quæ ſuprà diximus, medicamentis. Excidi autem vt plurimum non poteſt ſine magna ſanguinis eruptione, vbi venæ arteriæq́; amplæ ſunt, quæ ſanguinem immodicum recisæ effundunt. Has ſi arcendæ profuſionis gratia, laqueo comprehendas, ingenti dolore afficietur. Sin eius mali radices exurere velis, neq; hoc quidem ſine graui iactura vicinarum partium fiet. Tutius igitur à vehementibus medicamentis abſtinebimus, ſolis lenibus & quaſi adblandientibus contenti, præcipue in vlceratis cancris. In quibus ſi non aliud agamus, vt Galenus ait, ſaltem ſaniem abluamus.

IN elephantiaſi vero viperæ mira vtilitate eduntur: eas verò eodem modo, quo Marſos parare vidiſti, quos (quia aſpidibus & ſerpentibus veſcuntur) aſpidotrophos & theriotrophos vocant, comeſſe oportet: primum quidem cauda & capite ad quaternum digitorum longitudinem abſciſsis. Deinde interaneis omnibus ac cute etiam exemptis, poſtea aqua abluto eorum corpore. Sed hactenus quidem, nec aliter ſanè cum antidotum, vt vocant,

ther

theriacam temperantes facimus: cæterum diſsimiliter coquimus. In theriaca quidem anethum & ſalis exiguum in aqua miſcemus. In elephantiaſi verò non aliter quàm anguillas ex albo iure in olla paramus: quod ad hunc modum fit: Aqua large in ollam coniicitur, & olei exiguum, cum quo & anetum & porrum. Certum autem eſt carnes tantiſper eſſe incoquendas, dum planè molles reddantur. Compoſitum autem ex his medicamentum, quod theriacam antidotum vocant, vtiliter in eiuſmodi affectu bibitur: atque etiam ſi libuerit, cuti illinitur. Peractis enim omnibus his, aliquando ſquamma è cute, quemadmodum quæ ſenecta dicitur ex anguibus, reſoluitur.

Elephantiaſis ab elephante animali nomen accepit ob affectionis magnitudinem, longitudinem, & cutis aſperitatem. Longis enim morbis annumeratur, vixq; curationem admittit. contagione quoq; lædit, præcipue inueterata: ſiquidē putre quiddam exhalant ac expirant hac correpti: ambientem quoq; inficiunt aërem, atq; in eo verſantes. Fit autem eiuſmodi affectus, quēadmodum cancer, ob atra bili, cuius originem antè prodidimus: ſed cancer à parciore, partémque aliquam ſolum occupante. Elephantiaſis verò, à larga & per vniuerſum corpus diffuſa ortum

habet

habet, ita vt ſpatio temporis oſſa quoque vitiet. frequens eſt in Alexandria, vt paulò antè dictũ eſt, ob victus rationẽ, & loci caliditatẽ. craſſis enim cibis, vt pulte, lenticula, cochleis: ſalſamentis, nonnunquam & aſinina carne Alexãdrini vtuntur. Ambientis verò aëris caliditas hũc humorem ad cutem euocat: vnde malo huic eſt origo. In Germania & Myſia raro, apud Scytas qui lacte veſcuntur, vix vnquam apparuit: quoniã neq; craßis cibis aluntur, neq; ambiẽs aër in hiſce locis calidus eſt. mares quàm fœminas, ex his qui craſſo atroq; ſanguine abundant frequẽtius inuadit. itẽ & qui in nimio labore vitã agunt. Nam craſſum retorridumq; ſuccum generat. Fœminæ autem menſtruis purgationibus ab hoc ſe malo vendicant. Per initia autem cutis neque ſquammis exaſperatur, neque exulceratur, neque crebris magníſque tumoribus inæquabilis efficitur: ſed facies ſola, vt Paulus ait, aliquanto deformior, nondum autem planè fœda apparet: quædam tamen ſcabies & fœtor cutem occupat. Eodem tempore ſegnities corporis adeſt, tarda ac difficilis ſpiratio, mouendi difficultas. Morbo autem gliſcente non ſolum hæc ſigna augẽtur, ſed alia quàmplurima naſcuntur quæ illuſtriorem affectum reddunt. Cutis enim iam inæquabiliter craſſa, tenuis, dura, mollisq; redditur, ac crebros tumores crebrasq; maculas obtinet, atq; lentore

quo

quodam oleoſo velut perunćta, ſi aqua perfundatur, apparet: piliq́; decidunt, deinde vel tenues renaſcuntur, vel glabrum corpus remanet. Naſus reſimus eſt, naresq́; intus aſtrićtæ, foris verò amplæ ac velut intortæ ſunt. Muſculi cum aliarum partium, tum maxime pollicis atrophia abſumuntur. Laxiores verò corporis partes intumeſcunt, nempe humorem hunc facilè recipientes: vt labra, ſupercilia, frons, malæ, mẽtum. Sub lingua venæ nigricantes ac varicoſæ viſuntur, quæ ſimili conſtitutione iecur præditum eſſe teſtantur. Sub hacq́; & auribus crebræ minutæq́; velut glandulæ, his ſimiles, quæ in porcis grandinis nomen habent, inueniũtur. In ſumma, facies aſpećtu horrenda eſt. Si paululum corpus incaluit, cutis acubus pungi videtur: aut ſi refrigeratur, inſtar deplumis anſeris exaſperatur. rubor paulatim in atrum mutatur, colorisq́; vigor demoritur. Raucam vocem quaſi de nare edunt. Quòd ſi magis adhuc morbus auctus ſit, tumores crebriores ac maiores in tota cute oriuntur, ita vt digiti in manibus pedibusq́; ſæpe ſub his condantur. Grauis odor ex ore ſpiratur, & è toto corpore fœtor exhalatur. Magna ex parte cutis ſenſu priuatur, exulceratur: & ſanguis ſi ex venis mittatur, cinerulentus apparet. Turbulenta inſomnia ſunt, mens ſubdola, vitam vt amittere metuunt, ſic generoſo animo affećtũ ferre nõ poſſunt, nec hominum conſortia. Multa alia id

genus

genus ſigna affectum hunc comitantur: quæ qui atræ bilis mores norit, facilè deprehendet. Eius mali curandi ratio hæc eſt: iecur, ſi eius occaſione vitium hoc ſit ortum, ad natiuam temperiem reducendum eſt: & humor, qui totum corpus obſidet, vacuandus. Quoniam autem iecoris curationem is impedit, à vacuatione auſpicabimur. At cum ſuccus hic non ſolum venoſum genus, ſed vniuerſum corporis habitum occupat, non vno vacuandi genere vtemur: ſed ſectis in cubitis venis, reſeratis hæmorrhoidibus, prouocatis mēſibus, purgationibus, vomitionibus, errhinis, diamaſſematis, cucurbitulis, lauationibus, frictionibus, exercitationibus, illitis medicamentis. Protinus igitur inter initia ſi morbus deploratus non eſt, & vires validæ ſunt, ſanguis mitti debet: primum ex cubiti dextri, deinde ſiniſtri vena, non affatim, ne malum ſanguinem exhauriendo, bonū quoq; detrahas. In multo enim inutili, benigni exigua eſt portio: proinde adhibēdus in vacuādo modus eſt. Paulatim igitur iterata venæ ſectione ſanguis ducēdus eſt, præcipueq; in vere: quo tēpore is magis abūdat morbusq; & fit & augetur. Deinde mariſcæ ſi manare cōſueuerūt, euocāda ſunt: ſin minus, hirudines his admouendæ. Ex eiuſmodi enim venis craſſus fæculentusq; humor magis effluit. Et ſi mulier eſt qua patiatur, ciendi menſes ſunt, niſi ætas prohibeat. Natura enim poſt humorem commode vacuatum, morbo ſuperior

rior euadit, calorq́; qui ab eius copia ſuffocabitur, velut reuiuiſcit, morbiq́; reliquias potentius abigit. Poſt ſanguinis vacuationē interpoſitis aliquot diebus, nēpe vel nouē, vel decem, vt Paulus ſcribit, vt in his natura recreetur, vireſq́; reſumat, medicamētis quæ atrā bilē ducant, vtendū eſt. Primū quidem leuioribus, vt in cancro diximus: deinde valentioribus. Itaq; iteranda ſæpe purgatio eſt. Opportuna igitur huic morbo ſunt epithymum, polypodium, & quam ſenam vulgo dicunt, veratrum, colocynthis, hiera, tum Ruſi, tum Logadij, catapotia quoq; ex fumo terræ, & alia multa id genus medicamenta. Solent recentiores ex fumo terræ, bugloſſo, ſcolopendrio, ſeri, polypodio, epythimo, ſena, agarico ſirupum, vt Arabes vocant, conficere: quo ſubinde inter initia correptos hoc morbo purgant. quibus peractis vomitus ciendus eſt: deinde elicienda per os & nares pituita. Paulus leues cucurbitulas ori ventris, & hypochondrijs admouendas eſſe iubet, in potuq́; cedriam ex aceto & crudæ braſsicæ ſucco mane & veſperi adhibendam eſſe, ſcillam quoq; torrefactam ex mulſa vel melle vel butyro elecmatis modo. Item cyrenaicum liquorem cum melle & butyro & alia id genus, quæ libro quarto idem autor ſcribit. Sunt qui ad tuendam faciei pulchritudinem aut candente ferro, aut exedenti medicamento caput exulcerent. Sudor euocandus ſiccis ſudationibus eſt. Frictio ad-

bibenda: poſt quam litu qui ab alto ad cutem euocet, ac digerat, metaſyncriticon appellant, vtendum: poſtea reſiccantibus ac aſtringentibus. Multa eiuſmodi Aëtius commentario decimotertio docet. In ſumma per omnes corporis vias, quibus quidem commodè fieri poterit, eliciendus humor eſt. Cæterũ ex omnibus quæ in hoc morbo conſcripta ſunt, maxime iuuant tum viperinæ carnes in eſu, tum ex his compoſita medicamenta, ſiue intrò ſumpta, ſiue foris admota. Sunt enim cum alijs plurimis, tum maxime huic affectui ſaluberrima. ſimilitudine enim ſubſtantiæ humorem hunc tanquam venenoſum trahunt, ſcilicet media inter ipſum & corpus curandum. Nam ſi veneno propinquiora eſſent, veneni ritu læderent. Sin curando corpori ſimiliora, non attraherent, ſed in ſubſtantiam corporis mutarentur, proinde nihil iuuarent. Moderata quoq; in quantitate eſſe debent, ne largius ſumpta grauiter lædãt, parcius verò adhibita à veneno vincantur. Quantitatem dico nõ ſolum molem quæ adhibetur, ſed & adhibitionũ numerum. Eadem ratione ſal & paſtilli theriaci adhibendi ſunt. quorum omnium componendorum rationem & vſum Galenus docet in eo libro, cui titulus eſt de Antidotis. Vbi verò morbus iam confirmatus eſt, manum admouere nõ licet. At quoniam plurimum incidunt periculoſa ſymptomata: verbi gratia, ſpirandi difficultas, ſuffocatio, atq;, vt

ſemel

ſemel finiam, ingens excrementorum prouentus, purgare per interualla licebit: non autem ſanguinem mittere, niſi cũ ſponte & naturaliter fluit, aut per mariſcas, aut locos muliebres.

ALIORVM autem tumorum præter naturam nullius curandi rationem per chirurgiam ad te ſcribendam eſſe duxi, cum tu probatiſsima medicamenta à nobis acceperis. Ad ſtrumas quidem quæ repellere, exiccare, & pus mouere queant.

Struma, inflammatio eſt glãdularum in ſcirrhum mutatarum, quocirca curationem ægrè admittit. Curatur autem, vt aliarum partium ſcirrhi, quatenus ad vitium ipſum attinet. Quatenus verò ad ipſius partis naturam ſpectat, aliam curandi rationem deſyderat. Cum enim glandulæ aliæ corpori omnino ſint neceſſariæ, aliæ minorem vſum præſtent: quæ corpori ſunt neceſſariæ, eximi citra magnum incommodum non poſſunt: cuiuſmodi ſunt quæ lac, ſaliuam, quæq; pituitoſum quendam humorem in faucibus & larynge generãt, & in quas venæ ac arteriæ perueniunt. harum partium inflammatio aliarum modo curatur: nempe inter initia, aſtringẽtibus & exiccantibus, vt quæ quod influit, repellant, & quod iam locum obſidet, vacuent, affectamq; partem roborent: quemadmodum antè declaratum eſt. Quòd ſi totus humor is vacuari non poſſit, maturantibus eſt vtendum. At vbi iam in-

duruerunt, non aliter quàm aliarum partium ſcirrhi curantur: nempe emolliendi & digerendi ratione, quæ ſuprà monſtrata eſt. Quæ verò non magnum vſum animantibus præbent glandulæ, hoc eſt, quæ in vaſorum medio locatæ ſunt, qua parte in ramos diducuntur, ſine magno incommodo demi poſſunt, vbi iam in ſcirrhũ ſunt mutatæ: ideo aut ferro excidere, aut medicamentis exedere oportet. Quibus autem remedijs hæc fiant, ex Pauli Æginetæ libro quarto petendum eſt.

AD meliceridas verò, quæ & has digerant, & pus diſcutiant.

In abſceſſuum genere tria, vt prius indicauimus, ſunt frequẽtiſſima: nẽpe Steatoma, Atheroma, & Meliceris: à ſimilitudine contentorum in his corporũ dicta, vt Galenus docet. In ſteatomate enim ſeuo, in atheromate pulticulæ, in meliceride verò melli ſimilis materia cõtinetur. quibus omnibus commune eſt, vt quod continetur, vel digeratur, vel putre reddatur, vel ferro excidatur. Steatoma enim ob contentæ materiæ duritiem neq; digeri, neq; putreſcere poteſt, ſed tantum excidi: Atheroma autẽ & excidi & putre reddi: Meliceris verò digeri, putreſcere, & excidi. Putrefacere dicuntur, non quæ ſubſtantiam cũ fœtore corrumpunt, ſed quæ ſine hoc ſineq; dolore, aut ſaltem non cũ vehementi adurũt, eliquant, abſumunt, & corrumpunt. quale eſt

apud

apud Paulum Aeginetam libro quarto, quod capit aluminis ſciſſilis, ſandarachæ, ſingulorum denarium quatuor, ſquammæ æris denarium vnum, auripigmenti tantundem.

ET quemadmodum aqua in ſcroto & abdomine, cæteroſque hydropas curare oporteat, didiciſti.

Morbus intercus, quem Græci hydropa vocant, non contingit, niſi ex improſpera ſanguinis generatione. Hæc autem fit iecore vel primario vel aliarum partium conſenſu affecto. Primario quidem, dum vehementer id refrigeratur, ſeu inflammatione, ſeu obſtructione, ſeu ſcirrho obſeſſum, aut alia occaſione tam interna quam externa calorem natiuum vel extinguente, vel ſuffocante, vel diſſipante. Refrigerare enim nunc dicimus tum propriè, vt frigidæ potionem quæ ſua qualitate frigiditatem inducit: tum impropriè, vt inflammationem, ſcirrhum, obſtructionem, & ſimiles affectus, qui natiui caloris ſubſtantiam demoliuntur. Conſenſu verò afficitur, dum alijs partibus eodem modo afflictis conſentit. Nam ſi lienis occaſione, vt docet Galenus, vel ventriculi, vel inteſtinorũ cum aliorũ omnium, tum maximè ieiuni in meſeraicis venis firmata ſit intemperies hæc, cum ſimis iecoris partibus primum, deinde toto viſcere communicabitur. Similiter autem ſi vel pulmo, vel ſeptum tranſuerſum, vel renes intemperie laborent, hanc pri-

mum gibbæ eius partes, deinde totum iecur contrahet, vnde tandem ſanguinis conficiendi dote fruſtrabitur. Ad eundem modum, ſi immodicè fluant mariſcæ, venter, nares, & in mulieribus menſes, aut ſolitæ excretiones omnino ſuppreſſæ, vel largo victu vel crapula vſus ſit, idem malũ accidet, ſiquidem ſuperflua vacuatio calorem natiuum diſsipat, vniuerſumq́; corporis habitum refrigerat. Retentio verò & immodica plenitudo calorem hunc velut ſuffocat. Similiter autem longæ febres aliíq; diutini affectus vires reſoluunt. Quocirca non ſolum iecur, ſed & venter, & genus venoſum male ſuo munere fungũtur. Vnde hydrops naſcitur. In ſumma, affectus hic morbis omnibus ſuccedit, qui corporis habitum corrumpunt. Igitur iocinore veniśq; non rite munus ſuum obeuntibus vitioſus ſanguis alendoq́; corpori inutilis procreatur: nõnunquã in tota corporis mole, vt Paulus ait, nonnunquã in ipſo iecore, à quo nunc in vniuerſum corpus fertur, nunc in ſpatium, quod peritonæo clauditur. Cum enim venæ & renes per imbecillitatem non attrahunt, & iecur non expellit, ſed nec continet, apertis poris eius, in ventris cauum humor elabitur. Attrahentibus verò illis, & iocinore expellente, in vniuerſum corpus diſtribuitur. Cum igitur vniuerſum corporis habitum occupat, eam hydropis ſpeciem generat, quæ à Græcis leucophlegmatias, vel hypoſar-

cidios

cidies, vel anaſarca dicitur. Cum verò intra peritonæum & ſubiectas partes collectus eſt ſi quidem multus ſit, ac flatus paucus, eam quæ ab ventris ſimilitudine aſcites dicitur, procreat. Si verò humor paucus, flatus verò multus contineatur, à tympani ſonitu quem percuſſum edit, tympanites appellatur. Cui niſi ſuccurratur, denſeſcente in aquam vapore, in aſcitem tranſit. In omnibus autẽ his affectibus corporis coloris decor amittitur. non enim aliter atque in mortuis impalleſcit ob caloris natiui penuriam, cuius abſentia corporis vigor ac robur omne elangueſcit. In aſcite ſemper, in tympanite non ſemper pedes intumeſcere ſolent. Raro autem in vtroq; affectu manus, vt in phtoë & longis affectibus. Humorem enim languidior virtus in aſcite ſuo pondere decliuem continere nequit, nec vbi iam in partem aliquam deuolutus eſt, moderari. Igitur tumor velut œdematoſus efficitur, ſcilicet aquoſo humore in vaporem conuerſo ob caloris imbecillitatem. Naſcitur ex hoc malo & cibi faſtidiũ: niſi cum frigida qualitas malum hoc attulit. Sitis quoq; vehemẽter vrget, nimirũ ſtomacho ſalſa ac putri ſanie imbuto. Vrina pauca redditur, quòd vel in ſpatiũ peritonæo ſubiectũ, vel in corporis habitũ trãſmiſſa ſit. vnde & ſpirãdi difficultas ſequitur. Peculiariter autem in anaſarca, corpus vniuerſum intumeſcit, ceditq; prementibus digitis ſic, vt locus poſt preſſum cauus re-

maneat. Pulſus vndoſus eſt latus, ac mollis: quia humoris copia totum corpus occupantis, arteriam reddit molliorem. In aſcite pondere venter grauatur, nec ſi pulſes, ſonitum edit, more vtris aqua pleni, ſed ſi verſetur, aut volutetur, aut in latus mutetur, murmur quoddam velut decurrentium aquarum auditur. Arteriæ pulſus paruus eſt, frequens, durus cum quadam tenſione. Nam contentus in ventre humor magnas arterias intendit, ac grauat, & cor refrigerat. Communis autem aſcitæ, & tympanitæ eſt ventris contentio & reliqui corporis tabes, niſi vbi per morborum magnitudinẽ & longitudinẽ extremæ partes intumeſcũt. Sed in tympanite vt grauitas ventris minor eſt, ſic diſtentio maior. proinde percuſſus maiorẽ ſonum edit. Pulſum quoque longiorem minusq; imbecillum, quàm aliæ duæ hydropis ſpecies, habet: vtpote arteria contingentium corporum, vt Galenus ait, pondere minus preſſa minusq; grauata, ſed cùm non minus tendatur, proindeq; minus obediat, pulſum durum ac celerem obtinet.

HORVM autem geminus ſcopus eſt, nempe viſceris ſcirrhũ curare, & collectam humiditatem digerere. De ſcirrhoſorum autem viſcerum curatione antè diſputauimus. Itaque intercutis aquæ curatio ad hos tres ſcopos reducitur: nempe vt viſceris ſcirrhus ſanetur; medicamenta, quæ humiditatem

deſiccant, imponantur: & quæ vrinā cient, in potu dentur. Hæc quidem tibi ad longam peregrinationem accincto ſat eſſe arbitror. Si verò, vt antè dixi, opus de medicamentis ſecundum genera, & affectos locos, ſcripſero, illud quoque à tua peregrinatione reuerſus ex me accipies. Aliud autem magnum opus de vniuerſa curandi ratione, efflagitātibus amicis cōſcribetur. Quòd ſi in ea peregrinatione diutius detinearis, omnes quotquot ſcripſerimus commentarios ad te mittere non grauabimur.

Non ſolum ſcirrhum viſceris, ſed & obſtructiones & alias cauſas affectum aut afferentes aut augētes curare oportet. quod cū humor aut ventris aut totius corporis impediat, à vacuatione curationem auſpicabimur. quæ quidem omni hydropi communis eſt. Sed quoniam eius diuerſæ ſunt ſpecies, diuerſæq; cauſæ, vt modo dictum eſt, vacuandi modi ſunt diuerſi. Si quidem vniuerſum corpus intumuerit, cauſamq; malo dederit ſuppreßio aut hæmorrhoidum, aut menſium, vel crapula, vel otium, vel id genus alia cauſa, quæ humoris plenitudinem gignit, neceſſario ex vena ſanguis ducetur, niſi ætas aut tempus aut vires aut aliud id genus prohibeat. Hæc enim morbi cauſam minuit, naturam exonerat, ac potentiorem reddit aduerſus morbum: quem admo-

dum in elephantiaſi dicebamus. Sin ſcirrhus, aut aliquis ex compræhenſis affectibus hūc morbum procrearit, omiſſa venæ ſectione ad purgationem veniendum erit, quæ omni hydropis ſpeciei communis eſt. Hæc autem fit medicamentis aquas trahentibus, non ſemel ac affatim data, ſed ſubinde ac ſenſim repetita, ne vnius medicamenti vehementia natura lædatur. A ſimplici igitur hiera picra purgationem auſpicabimur, vt quæ ſine vi potenter exiccet, detergat, roburq; ventri & viſceribus inſerat. Deinde ad valentiora trāſeundum eſt, qualis radicis ireos ſuccus, &, vt Paulus docet, ebuli radicis in vino decoctæ ius, & cucumeris ſylueſtris in vino auſtero macerati dilutum ciathi menſura in potu datum: item ſambuci radicis ſuccus. Eadem vtilitate datur tithymalus, niſi quod vehemētius remedium eſt. Cauendum autem ab omni venenato medicamento, vt quod iecoris affectum augeat, vt ſcammoniū. Alia id genus multa Paulus Aëtius, & Alexander ſcripſerūt. Poſtea vrinas prouocare oportet nardo, cumino, caſia, dulci radice, hyperico, aſaro, dauco, pipere, ſeſeli, & alijs id genus multis, ſiue per ſe ſingulis, ſiue ex his aliquibus, ſiue ſimul omnibus adhibitis, vt Paulus docet. Facit & ad hoc, medicamētum ex amygdalis, cuius compoſitio hæc eſt: Aniſi ſeminis, apij, aſari, abſinthij, amygdalarum amararum, ſingulorum pondo denarium quatuor, ex

aqua

aqua paſtilli finguntur, ſinguli ſingulorũ denariũ, dantur ex mulſa febricitantibus: ex mulſo, ſi nõ adeſt febris. Cũ enim febris, vrinas & obſtructiones delẽt. Venter quoq; acribus ſiccantibusq; clyſteribus ſollicitandus eſt, qualis eſt ex muria, Locis mulierum peßi ad menſes euocandos indendi ſunt, quales Paulus ad hunc modum deſcribit, Aniſi, cardami, cumini, nitri, ariſtolochiæ, fœnigræci, pulegij, ficuum, interioris pares portiones excipiuntur oleo ſuſino, id eſt quod ex alliis confectum eſt. Poſt hæc aquarum ſponte naſcentium aut ſimilium arte factarum vſus frequens ſalutaris eſt, aliarum verò inutilis. Sudor quoq; euocandus eſt non exercitatione tantum, vt Celſus ait, ſed etiam in harena calida, vel laconico, vel clibano, ſimilibusq; alijs. Ventri quoque imponuntur quæ vel humorem deſiccent, vel viſcus roborent. Deſiccat bubulus fimus in ſole arefactus, tritus, & ex aceto coctus, addita ſulphuris quarta parte. Eadem vtilitate pollet fimus columbinus & caprinus. Itẽ emplaſtrũ ex fermento, aridis funibus, calce, nitro, iride, ſulphure, vino, lauri baccis, ammoniaco. Ad idẽ facit quod habet lapidis pyritæ, ſulphuris, vini, ammoniaci, nitri, ſingulorum pondo denariũ duodecim, cumini pondo denariũ ſedecim, excipiuntur cera & terebinthina, inductaq; corio toti ventri imponuntur. Ex abſinthio verò, fœnogræco & polenta fit cataplaſma, quod iecori robur

reſtit

reſtituit, multa id genus medicamenta Paulus, Aëtius, & Alexander ſcripſerũt: quæ referre longius eſſet. Satis enim eſt Galeni methodũ explicare. Vacuato autem aliqua ex parte humore ad vitiati iocinoris aut partis quæ huic malo occaſionem præbet, affectum curandum videndum eſt: nempe ſcirrhum & alias prius cõmemoratas cauſas, quarum curandarum rationẽ partim ſupra commemorauimus, partim in libris Methodi medendi Galenus tradit. Victus ratio deſiccet, ac vrinam prouocet ſic, vt iecur nõ offendat. Itaq; vinum auſterum, ſed quam tenuiſsimum, vt Celſus ait, vtiliter adhibetur. Exiccat enim ac vrinas mouet, roburq́; viſceris ſeruat. ſed parce id ſumendũ eſt, neq; enim id vltrà dandum, quàm vt vitam ſeruet. Eiuſmodi virtutis cibi dandi ſunt, qualis eſt panis probè fermentatus. Inter aues, perdices, gallinacei, turtures, turdi, merulæ. Ex piſcibus ſaxatiles, & id genus alia permulta, quæ ex Galeni de Alimentis libris petenda ſunt.

*

FINIS.

INDEX EORVM QVAE hoc in libro notatu digna continentur.

ABſceſſus notæ 226
Abſceßus vnde 352
Abſceſſus curatio. 354
Abſceſſuū materia ī varias corrūpit formas 352
Abſceſſus in pus verſi notæ 380
Accidētia neceſſario inflāmationē ſequētia 248
Acceßionum diuerſitatis cauſa 81
Accidentium diuiſio 248
Acopū quid 344. *Actiones* 29
Aër attractus quomodo vitietur 163
Aequali exceſſu cōtrarius exceſſus pellitur 14
Aequinoctium 109. *Aëtius* 402
Affectus rheumatici 320
Aliter docendum, aliter opera tractāda 8
Alui excrementorum notæ 226
Anaſarca 299
Animi mores temperamentum patefaciunt 32
Animi curæ febrem gignunt 36
Animi deliquium ab vtero 176
Animi defectus à ſyncope quo differat 161
Animi emotiones quæ quas affectiones relinquant 57. *Animi motus* 52
Animoſæ facultatis motus quomodo fiant 57
Animi deliquij curationis modi varij 170
Andronis paſtillus 275. *Anodyna vere* 344
A notioribus ad ignotiora ars procedit 33

Apoſte

Apoſtema ſeu abſceſſus quid 352
Aqua febri qua febris eſt perpetuo cõuenit 149
A quibus curatio auſpicanda 10
Ariſtoteles 210
Arteriarum pulſus naturæ index 32
Artuum muſculorumq; inflatorũ curatio 344
Aſcites 407
Aſtringentia ſiccitati inimica 189
Aſtrologia quatenus Medico neceſſaria 220
Atheroma 404
Atra bilis ſemper deorſum educenda, niſi aliò feratur 141
Atræ bilis repurgandæ ratio 390
Auerſionis ſpecies 170. Auicennæ error 301
Auicenna 143. Aurora 111
BArbara emplaſtra 366
Balneum diariæ vtile 48
Balnei dulcis aquæ vis 125
Balneum diarijs febribus commodiſſimum 38
Balnea quibus conducant, quibus non 173
Bilis commoda vacuatio quæ 127
Bilis atra triplex 390
Bulimus vnde, & eius curatio 184
Bubo quid & vnde 67. Bubonum cauſæ 37
Bubonis curatio 270. Bulimos 162
CAcoëthe vlcus quid 278
Calor natiuus duplex 232
Calor febrilis 34
Calor febrilis in diuerſis partibus diuerſas gignit

gnit febrium differentias 34
Calor tertianæ 85. Calor naturã indicat 31
Cancri genus quod curetur, quod non 393
Cancer ſine vlcere & cum vlcere vnde 243
Cancrorum ortus 390
Capitis dolentis curatio 203
Caput quomodo afficiatur 201
Carbũculus vnde & eius natura curatioq; 280
Carbo peſt. vnde 243. Carbũc. vnde 241. & 280
Carni generandæ idonea med. 388
Carne replentia 360
Cataplaſma ad inflãmationes 260. Cauitas 28
Cauſis infeſtãtibus contraria apponenda remedia 74. Cauſæ ſanitatem ſeruantes 29
Cauitas oculorum 60
Cauſæ in affectus reſoluuntur 25
Celſus 277. & 295
Celeris & frequentis pulſus cauſæ 53
Cerebrũ rationis principium 57. Cirrha 367
Chirurgia in cancris temere non adhibenda 393
Cryſter 125. Coctio & cruditas qd promittãt 108
Cognoſcere communem & minus communem omnium hominum naturam 7
Cognitio morbi, eius curationem præcedit 231
Color temperaturam oſtẽdit 31. Cõmunia 23
Communis omnium hominum natura 6
Conſuetudo quid 155
Conſuetudo naturæ proprietatem docet 32
Continuitatẽ quæ ſoluãt 195. Cõtraria quæ 290

Contra

Contrariæ poſitione partes quæ 204
Conuulſio quomodo fiat 152
Cor tanquam rex in corpore 214
Cor animoſæ facultatis principium 57
Corporis partium diuiſio, earumq́; affectus 219
Corporis habitudo eandem vim habet 31
Craſſus humor multiplex 242
Craſſa ac viſcoſa medicamenta motu pigra ſunt 13. *Criſis quando ſalubris* 221
Criſis quãdo bona, & quando contrà expectanda 221. *Criſis ſigna prognoſtica* 206
Criſis quid 205. *Cruſtã à partibus ſoluẽtia* 387
Cruẽtorũ excrementorum quatuor ſpecies 197
Cucurbitulæ vis 289
Cũr communia tantum ſcribat 21
Curarum accidentia 60. *Curandi ordo* 10
Cutis rhacodes vnde 280
Cutis denſitas quid & vnde 64
Cyrenaicum medicamentum 141
D*Efectiõis ex ſuperuacuo calore curatio* 185
Defectionis ob ingentẽ inflammationem curatio 186
Defectiõis ex vehemẽti refrigeratiõe curatio 184
Deliquij animi ab obſtructione inſignis partis curatio 190
Deliquij animi à crudis humoribus curatio 175
Deliquiũ animi ab immoderata intẽperie 165
Deliquij animi variæ deinceps recitãtur cauſæ, & curatio 192. *De naturæ motu* 220

Delig

Deligaturæ in ſinu ratio 372
Deriuatione quando vtendum 290
Diariæ febres facilime curantur. 38. & 40
Dies decretorij 216
Diariæ malis accidentibus carent 50
Diariæ cur ſimpliſsimæ 35
Diatritos febri inutilis 38
Dierum decretoriorum ſingulorum vis 222. &
eorundem ratio 210
Dioſpoliticon 140. *Diuiſionis error* 26
Diuiſio πολυσήμου *in ſua ſignifi.* 26
Diuiſio accidentis in ſubiecta 26
Digerentia molliendo 331
Diuidēdi ratio ad curationē perneceſſaria 30
Diuiſio ſubiecti in accidentia 26
Diuturnæ febris ſigna 101
Doloris differētiæ, ac qualitat. vnde ſumāt 201
Doloris cauſæ 194. *Dolor quomodo ſedetur* 353
Dolor trifariam ſedatur 344
EFfectus in ſuas cauſas reſoluitur 25
Elementa quomodo miſceantur 211
Elephantiaſis 398. & 400. *Emmotū quid* 366
Emplaſtrum quid 366. Ἐπικεραστικὰ 195
Ἐπικεραστικὸν *quid* 354. *Epigoni emplaſtrū* 366
Eryſipelatis curatio 267. *Eryſipelas duplex* 139
Eryſipelas exquiſitum duplex 240
Ἐσθιόμενος *vnde* 237
Euacuandi ratio pro temporis conſtitutione &
conſuetudine inſtituenda. 154

Exedentis herpetis curatio 275
Exemplum de quodam adoleſcente 109
Ex vtero quomodo reuocandum 297
Ex vtero quomodo deriuandum 297
Ex oculis animi mores depræhenduntur 56
Excrementa 29. *Exemplum ex Galeno* 248
Externum calorem quid vocet 76
Exemplum de progreßione, quis cuiusq; particulæ ſit vſus 247
Febris ſubſtantia 33. & 42
Febres ex bubone quæ mites 37
Febris aßiduæ notæ 115
Febriũ principes notæ ex quibus deſumãtur 42
Febris ex cutis denſitate 66
Febris continua quomodo fiat 78
Febris intermittens quomodo fiat 78
Febris cur cognoſcenda 79
Febris diariæ ex bubone accidentia 68
Febris quotidianæ cauſæ 143
Febris ex laßitudine 62
Febres ex bubone quæ malæ 37
Febris putris notæ 49
Febrium quæ ex humoribus accenduntur diuerſæ ſpecies 35. *Fermenti natura* 356
Figura 28. *Finis in ſua media* 25
Fiſtula quid, eiusq; curandi ratio 376
Fluxio quõ impediatur 255. *Flauus color* 65
Fluxionis in aliquã partẽ affectã curatio 279
Flatus cauſa 343. *Fluxionis cauſæ* 255

Flux

Fluxio quomodo fiat 173
Fluxionis differentiæ vnde ſumantur 291
Forma inſtrumẽti 28. *Frigus cutẽ claudit* 37
Frigus 82. *Frictiõis vis* 290. *Frigidæ facul.* 170
Furor febrẽ generat 36. *Furoris accidẽtia* 60
G*Angræna, eiusq́; curatio* 382
Genus in ſpecies diuiditur 24
Glandulæ cur facilime fluxiones recipiãt 235
Glandularum natura 311
H*Aemorroidarum notæ* 226
Hecticæ febris differentiæ 35
Herpetis vtriuſq; curatio 274. *Hippocrat.* 305
Hiſpanica ſcabies 278. *Horror* 82
Hypotheſis de folle 91
Hypotheſis de febricitãte cũ ſymptomate 150
I*Ecur concupiſcentiæ eſt principium* 57
Iecoris ſcirrhoſi curatio 337
Iecur vehemẽtia vti liẽ medicamẽta nõ fert 337
Iecoris ſcirrhus inueteratus inſanabilis 337
Imbecillitas quid 180
Imbecillitas frigus refugit 182
Inchoandum ſemper à leuioribus 326
In curis & cogitationibus corporis habitus minus exiccatur 56
Incognita propria ægroti natura ad commune confugiendum 23
Indicatio à rebus ſecundum naturam 29
Indicationes à quatuor generibus 283
Indicatio à temperie partis 283

In diarijs nulla pulſus inæqualitas 47
In diuerſis indicationibus vrgentiori primum conſulendum 158
Indicatio à ſenſus acumine & hebetudine 317
Indicatio à partis facultate 314
Indicatio à partis formatione 285
Indicatio à rebus præter naturam 30
Indicatio à partis robore 316
Indicatio à partis ſitu 288. & 310
Indicatio omnium morborum communis 320
Inſenſilis tranſpiratio. 49
Inflammationis cauſæ quædam & curatio 264
Intemperantiæ octo 180
Innumeræ hominum particulares naturæ 7
Inæquale incrementum quando appareat 101
Inſtrumentorum fabrica quibus abſoluatur 28
Inæqualitatis ſenſus cauſa 50
Intermittentium febrium curatio 103
In omni inflammatione pulſus eſt ſerrãs 46
Intemperantiæ diuiſio 30
Inflammationis diuiſio prima 232
Inciſurarũ diuiſio 358. *Inflãmatiõis ſpecies* 230
Inflammationum cauſæ & curatio 333
Indicationes vnde petendæ 160
Inæqualis pulſus cauſæ 53. *Intercutis origo* 405
Intemperierum quatuor curatio 278
Inflammationis cauſa 234
Inflammatio eryſipelatodes & eryſipelas phlegmonode quid, & eorum curatio 268

Iracũdia febrẽ gignit 36. Iracũdiæ pulſus 58
Καιρὸς 18. Καιρὸς ὀξὺς 16
LAbrorum vlceris vitiatorũ curatio 279
Laßitudinis ſenſus febrem facit 36
Lesbium vinũ 172. Leucophlegmatias 407
Lienis flatuoſi curatio 335
Lienis ſcirrrhoſi curatio 334
Longitudo quomodo deprahendatur 117
Locus cui adhibetur remediũ formã medicamẽti docet 17. Lunæ in morbis imperium 218
Lunæ varij effectus pro figurarũ varietate 217
Lunæ lucis ratio 214
MAdor 49. Mãſuetißimæ febris ſig. 50
Mala febris accidentia 50
Magnitudinem quæ indicent 118
Magna inter diarias cognatio 40
Magni pulſus cauſæ 53. Methodus vniuerſal. 9
Medicamenta elephantiaſi accommoda 401
Medicamentũ dolorẽ citra noxã leuans 258
Medicamẽti ex cõbuſta charta cõpoſitio 365
Medicamenti ex chalcite compoſitio 261
Menſis reuolutionis 218. Meliceris 404
Menſis medius qui & criticus, vnde 219
Mẽſiũ notæ 226. Mẽſis illuminationis quid 217
Miliaris vnde 238. Miliaris herpetis cura. 275
Mœror febrem parit 36
Mœſtitiæ & curæ ſigna differunt 55
Modus cibãdi vnde ſumat̃. 72. morbi diuiſio 30
Morbi ſpẽs, mores et magnitudo vñ noſcat̃ 248

Morborum differentiæ vnde 244
Morborum mutatio 205
Morbi ſalutaris aut contrà,notæ 217
Morbi diuturni pibus diebus iudicari ſolẽt 216
Morbus 6
Morborũ ſuccĩcta receſſio,atq; curatiõis rõ 320
Muſæ paſtillus 276. *Machæriõis ẽplaſtrũ* 366
Mulſa varie coquitur 175
NArcoticum quid 354
Natiui in corpore varij colores 316
Natura ſanguinis & carnis genitrix 387
Necroſis 382. *Natiuus calor qũo ſeruetur* 76
Natiuum calorem perdentia 382
Natura qũo ad ſuã reducatur temperiem 130
Natura iuuãda 126. *Naturalis vrina qual.* 66
Natura aſcititia 6. *Natura* 6
Natura ſe ad iucunda explicat 171
Naturæ motus qualis eſſe debeat 226
Natiuus calor duplex 33
Natura intra certos elemẽtorũ fines cõtinetur 6
Natura ſubitas mutationes non ſuſtinet 17
Non in omnibus diarijs eodem modo nec eiſdem balnei partibus,nec eadem victus ratione vtendum 71. *Notæ à pulſibus* 90
Notæ febris minus certæ 42
Nominum ratio varia 244
Nouem modis elementa miſcentur 28
Nouẽ ſymmetriæ 28. *Nouẽ hominis naturæ* 7
Notæ caliditatis 93

Nutrimentum quomodo deficiat 163
O *Bſcura ſigna* 41. *Occaſio* 17
Oedematis natura eiusq́; quatenus ſymptoma eſt curatio 323
Oedematis duplex curatio 325
Olea repellentia 240. *Operæ* 123
P *Artes principes corporis* 190
Paulus Aegineta 275
Partium corporis naturæ, actionis & vſus cognitio morbo cognoſcendo neceſſaria 245
Paſionis paſtillus 276
Partium diuiſio duplex, eiusq́; intellectus 313
Particulares naturæ ſub artem non coguntur 8
Partes quæ præcipue febre obſidentur 42
Pallidus color 65
Partis formatio medicamenti quantitatem præſcribit 16. *Partitio* 26
Parui pulſus cauſæ 53. *Partis conditio* 15
Petrus Briſſous 294
Peculiare quoddam remedium tum locus, tum affectus deſiderat 13
Pertinacia affectus medicamenti quantitatem variat 15. *Peculiarẽ naturã cogno. &c.* 8
Phæa 367. *Phyma quid* 244. *Phyethli cur.* 271
φύσις 6. *Phymatis curatio* 271
Piper triplex 139
Polychreſton medicamentum 361. *Poma* 123
Poſt lauationem ad ſolidã victus rationẽ æger eſt relegandus 38. *Polyidæ paſtillus* 276

Priuatæ naturæ medicamēti modū variant 15
Primæ qualitates 12
Prima diariæ acceſsio quō intelligi debeat 48
Primum caloris naturalis genus 33
Propria cuiuſq; natura 7
Pus mouētia 365. *Putredinē auferētia* 384
Putredo quid, & eius cauſa, ex Ariſtotelis ſententia 76. *Pulſus quotidianarū febriū* 98
Purgantia blande 133
Pulſus inæqualitas in diuerſis arteriæ partibus 47. *Pulſus dicrotus* 46
Pulſus in inflammatione idem perpetuo non manet 46
Pulſus tertianarum omniū intermittentiū celerrimi 91. *Pulſus iracundiæ & furoris* 54
Pulſus in animi affectibus quales 52
Pulſus tertianæ, aliaq; eius accidentia 85
Pulſus cauſæ 53
Pulſuum inæqualitas duplex 191
Putrefactionis idem modus apud medicos & philoſophos 77
Putreſcētiū in animātis corpore partiū ordo 77
Putredo quō fiat 75. *Purgatiōis effectus* 289
Pyritis lapidis vel molaris miniſtratio 333
QVando ad propinqua, quādo ad lōginqua reuocandū 306. *Quartanæ ſigna* 89
Quartanæ febres vagis ferè ſuccedunt 83
Quartanæ victus ratio 138
Quartana febris 105
Quad

Quadrangulis maxima vis ineſt 216
Quartanæ ſigna præcipua 89. 94
Quantitas 14. *Quartanæ curatio* 136
Quando in diaria cibandum 51
Quando inhydrope purgandum 410
Quantitas morbi quid 117
Quatuor inſtrumenti ſanitatis differentiæ 28
Qualitates ſenſiles 29
Quartanæ ſigna minus præcipua 94
Quæ primas ſequantur qualitates 12
Quæ ex ambabus naſcantur qualitatibus 12
Quæ propria cuiuſque naturæ cognitionem ſuggerant 31
Quæ ſubſtantiæ concrementum ſequantur 12
Quæ remedia efflagitent 18
Quibus notis poſt compoſitos animi motus febris deprahendatur 54
Quid in curatione magis vrget 10
Quibus ſignis febris mores deprahendantur 47
Quibus vniuerſalis methodus conſtet 12
Quot modis elementa miſcentur, totidem naturas eſſe 6. *Quotidianæ accidentia* 144
Quotidiana febris 104
Quotidianarum ſigna 98
R*Arus pulſus* 89
Ratio adhibēdorum purgantium medicaminū 13. *Ratio adhibendarū qualitatū* 12
Receſſus à iuſto temperamento ad amuſſim non deprahenditur 8

Refrigerantia medicamenta 267
Remedia variantur pro partium affectarum diuerſitate 283
Remediorum opportuna tempora ex quibus ſumantur 18
Remediorum tempora particulatim ex quibus petantur 19. Repellendi ratio 255
Res præter naturam 29
Reſpiratio quomodo prohibeatur 163
Retractione quando vtendum 290
Retractionis ad propinqua ratio 326
Reuocantia ad longinqua, propinqua, & ad vtraq; 296. Rigor quid 82
Robur vnde noſcatur 118. Rufus color 65
SAlſamentum quid 139
Saliuæ ratio in pleuritide 251
Sanguinis miſsionis in pleuritide ratio 300
Sanguinis miſsio in coſtarum inferiorũ pleuritide an vtilis 306. Sanguinem ſiſtentia 175
Sanguis quando mittendus 147
Sanguinis miſsio, vehemensq; purgatio in tertianis exquiſitis parũ probãtur Galeno 126
Sanguinis è naribus fluxuri notæ 226
Sanguis quando in hydrope mittendus 409
Sanguinis miſsionis in inflammatione ratio 293
Sanguinis miſsionis ratio in vteri affectu 299
Sanitatis effectus 29
Scarificationis & hirudinum vis 290
Scirrhi qui incurabiles 331

Scirrhus quid, & eius curatio 330
Secundum caloris naturalis genus 34
Secundi generis naturalis caloris differentiæ 34
Secundæ partes 34
Sectionis venæ effectus 289
Senſus frigoris, horroris & rigoris in balneo cauſæ 50, *Sẽſorijs quæ grata, quæ ingrata* 177
Sexus temperaturæ index eſt 32
Siccitatis varij modi 187
Signa minus præcipua vnde ſumantur 94
Sinuum differentiæ 371
Signa præcipua vnde ſumantur 41. & 93
Signorum cognitio ad morbi curationem per neceſſaria 22. *Signa ab vrinis* 99
Signa intermittentium febrium 101
Signa alia præcipua, alia minus præcipua 93
Sinus quid, eiusq; curatio 365
Sine naturæ tam communis quàm priuatæ cognitione recta curatio non fit 8
Sinus altarum partium coitionis notæ 375
Simplici vacuatione quando vtendum 290
Sitis vnde 87
Situs & ſocietas partium variandi remedij rationem obtinent 16
Solis ardor quibus modis ſpiritum accendat 37
Sol omnis luminis fons 213
Solutionis modus ſpeciem febris declarat 48
Sphragis paſt. alius Polyidæ 276. *Sphacelos* 382
Spiritus quibus de cauſis pereat 162

Spiritus reſolutionis cauſæ 163
Spuriarum febrium victus ratio & curatio 131
Steatoma 404. Stomachi imbecilli curatio 181
Stomachus vnde magis laboret 181
Stomachi ac ventris humore vitioſo vexati curatio 202. Strumæ curatio 403
Sub diuiſione quæ contineantur 24
Succi alij alias generant febres 81
Sudor blandus vnde 68
Summe ſpuriæ ſigna 113 Sudor 49
Summouendorũ quæ præter naturam ſunt triplex eſt ſcopus 299. Sudoris notæ 226
Syderatio 372
Symptomata rationem cauſæ obtinentia 150
Syncope quid 171. Symptomatis diuiſio 150
Syndrome plethorica 192
Symptomata affectum prodentia 150
Symptomata duplicia 147
Syncopæ à ſiccitate curatio 188
TArdus pulſus 89
Temperata natura duplex 7
Tendonis ſcirrhoſi curatio 332
Tenuia medicamenta celeriter in corpus feruntur 13. Temulentia febrem efficit 36
Tertianæ exquiſitæ finitio, & quomodo fiat 106
Tertianæ febris duo extrema 113
Tertiana & aliarum victus 104
Tertiana febris 104
Tertianæ exquiſitæ ſigna 113

Tertianæ exquiſitæ victus ratio curatioq́; 122
Tetrapharmaci compoſitio 263
Timoris pulſus 53. & 54
Topica remedia 173
Triſtitiæ pulſus 53. & 54
Tuſsim excreatio non ſemper ſequitur 251
Tympanites 407
V *Acuandi ratio à corporis habitu* 156
Vacuationem quæ diſſuadeant 148
Vacuationẽ quæ renuant, & quæ admittãt 256
Vacuatio quomodo fiat 163
Vacuandi ratio in conuulſis 152
Vacuandi ratio in vehementibus vigilijs & doloribus 153
Vacuandi ratio ab ætate 157
Vacuatio viribus reſpondere debet 148
Vacuatio omni hydropi communis 409
Vacuandi modus in hydrope 166
Vaga & erratica febris 84
Vapor 49
Varia corporis partium temperamenta 34
Varia victus ratio pro varijs affectuum generibus 145
Vbi nihil vrget à cauſis curationis ordo eſt petendus 11
Venarum in cruribus continuitas 295
Vena humorem melancholicum vacuans 137
Ventre profluente alia ſuperſedendum vacuatione 151

Venæ ſecandæ locus, & vacuationis differentia vnde ſumantur 291
Vena interna vtero reſpondet 297
Venarum textura 294
Ventris inflati curatio 344
Vergiliæ 109
Vere ſolida ſubſtantia 35
Via per quam humor educitur 16
Virtutum trium imbecillitatis notæ 196
Vires quibus ſeruentur aut corrumpantur 162
Vigiles ſenſus otioſi non ſunt 37
Vires in morbo quando valentiores 19
Virium augendarum ratio 130
Virium ſubſtantia 162
Virgilius 212
Victus humidus omnibus febribus perpetuo confert 130
Vires corpus noſtrum gubernantes 162
Virtutes naturales quatuor 321
Vino quando vtendum, quando non 171
Vinum frigidum quando propinandum 174
Vinum quibus dandum 73
Vigiliæ cruditatem pariunt 59
Vires 28
Vires ſuis actionibus cognoſcuntur 31
Vinum calidum quando propinandum 172
Vigiliarum accidentia 59
Vitæ genus naturam oſtendit 32
Vires quid 117

Vibrati pulſus cauſæ 53
Vinum celerrime reficit 183
Virtus ſemper ſeruanda & quomodo 283
Virtutes communes, earumq; origo 313
Vinculorum effectus 170
Vinculorum vis 290
Vlcera variantur pro humoris qualitate 238
Vnde appellationem ſortiantur qualitates 12
Vnde vis purgatoria ibid.
Vnica diariarum forma 35
Vomitus notæ 225
Vomitus commoda prouocatio 182
Vomitus perquã vtilis inueteratis febribus 133
Vomitio 125
Vrinæ mouendæ ratio 126
Vrinæ in febris diariæ declinatione quales 49
Vrinarum notæ 226
Vrinæ ſecundum naturam quales 47
Vtendi medicamenti modus ac ratio 16
Vteri ſuffocationis cauſæ 164
Vulnerata pars quomodo collocanda 170

FINIS.

Εἰς τὸν Γαληνοῦ τὸν πρὸς Γλαύκωνα
θεραπευτικῶν ἐξηγητὴν, Ἰα-
κώβου Τουσάνου.

Σμικρῆς μὲν σελίσιν ταύτης, κρυφίης δὲ Γαληνὸς
Τὴν καθόλου μάρψας πῆξεν ἀκεστορίην.
Ὀψὲ γὰρ Ἀκάκιος λαμπρῶς, ὡς ἄλλος Ἀπόλλων,
Ἀκτῖσι ζοφερὸν τὸ σκότος ἐσκέδασεν.

ANTONII GALLI,
Doctoris Medici, ad Marti-
num Acakiam de-
caſtichon.

In triuijs quondam ſolitus dubitare viator,
Stare loco, cœptam neſcius ire viam.
At Maiæ genitus feſſo ſuccurrit, & illi
Quod erat in votis indice ſe exhibuit.
Quid nunc Martinus ſolus monſtrator? in arte
Nempe dei partes geßit, & vnus habet.
Quod cernens ſtupuit deus aligero pede terram
Succutiens cœlos euolat, hæc & ait:
Perge alijs monſtrare viam, iamq; ipſe faceſſo:
Nam medicina tuo deuiat haud digito.

816